COMMENTATIONES
TRES:

DE ANTIQUITATE CARMINUM ANACREONTEORUM,
DE FORMA HODIERNA ORATIONIS DEMOSTHENIS
PRO CORONA ET DE MEDEA EURIPIDIS

QUAS

SCRIPSIT

D. AUGUSTUS FRIDERICUS WOLPER,
GYMN. REG. LINGENS. CONRECTOR.

LIPSIAE,
APUD C. H. F. HARTMANNUM.
MDCCCXXV.

LUDOLPHO GEORGIO DISSENIO,

PROF. ORD. GOTTING.

P. S.

Quam ante hos fere septem annos *Tibi*, vir pie colende, dederam et dedicaveram, quamque ea, qua soles, humanitate accepisti commentationem de Medea Euripidis, eam denuo typis impressam ad *Te* remitti, excuses velim. Nam cum materies gravior esse videretur, quam ut commentationem inter multarum profecto curarum turbas atque in summa librorum inopia perscriptam plane omitterem, hanc in ea, qua nunc versor, vitae statione, quantum fieri potuit, emendatiorem edere haud abstinui. Num et resecando et addendo argumenti perspicuitatem atque firmitatem adjuverim, meque *Tua* disciplina non prorsus indignum praebuerim, ipse videas.

Quae de duabus aliis commentationibus ad *Te* rescribam, vix dubius haereo.

Revocat enim altera, de Anacreonte, felicissimi temporis memoriam, quo *Te*, et Mitscherlichio atque Wunderlichio, viris summis, ducibus Seminarii philologici sodalis hujus commentationis lineas adumbraveram. Quis mihi opusculi perficiendi auctor suasorque, *Te* potior, exstiterit? Utinam ne operam perdidisse *Tibi* videar!

Alteri vero commentationi, quae de oratione Demosthenis pro Corona scripta est, veniam *Tuam* imprecer necesse est. Plura de hac oratione literis mecum communicare non recusavisti, quae me quidem ab opere incepto absterruissent, nisi de *Tua* benevolentia, qua me a pueris prosecutus es, confiderem. Vale faveque.

Aug. Frider. Wolper.

I.

Commentatio
de
antiquitate carminum
ANACREONTEORUM.

Anacreontis carminum reliquiae inde ab Henrici Stephani temporibus ad nostrum usque aevum tot editores et interpretes habuerunt, quot vix alius veterum scriptorum repererit. Cujus insignis erga Teium vatem favoris caussas circumspicienti mihi non tam poëmatiorum lepos et suavitas, quam sensus simplicitas et perspicuitas, atque odariorum ambitus quam maxime circumcisus viros et juvenes doctos allexisse videtur. Me quidem non praeterit, quae in Anacreontis carmina jam antiquitus cumulatae sint laudes; eas in plurimas nostrarum odarum vix cadere posse; veruntamen has ego non ita susque deque habeo, ut post vulnera, lyricis Graecorum poëtis inflicta, has quoque reliquias prorsus neglectas esse, studiisque virorum ingenuorum indignas haberi velim.

Quae reputanti mihi res visa est haud contemnenda, meam quoque quantillam operam per otium his poëmatiis denuo impendere. Qua in re hoc mihi propositum erat, ut dubia, a viris doctis de antiquitate carminum Anacreontis passim prolata, in examen vocarem, et quantum sine levitate fieri posset, senem Teium eis parentem servarem. Cum vero infitiari non possem, multa in eis esse spuria, atque serioribus temporibus et homunculis obscurissimis originem debere, in rationes quoque inquirere mihi visum est, quibus haec Anacreonti detrahi velim. Habeant modo, nisi quam aliam, hanc tamen sequentes pagillae laudem, quaecunque

de odariis Anacreonteis viri docti cogitaverint atque statuerint, collecta et ponderata esse.

Audiamus igitur, quae dubia in universum contra odaria Anacreontis proferri solent, et nostrum judicium de his feramus.

Jam primum ante omnia, si historiam ducem sequamur, edocemur, vesano quodam Christianorum furore veterum scriptis et imprimis poëtis lyricis ob morum quandam lasciviam, a morositate clericorum prava severitate notatam, injuriam improbissimam esse illatam. Tam nefandi facinoris vestigia jam exeunte saeculo sexto occurrunt; nam in Gregorium primum, pontificem Romanum, incensae bibliothecae Palatinae atque Titi Livii historiae maximam partem deletae culpam transferunt. Me quidem judice injuria virum, ardentissimo sacrorum Christianorum amore insignem, hoc crimine polluunt; nam scripta Gregorii ne suspicionem quidem hujus malignitatis excitant, quique ab eo in monumenta antiqua saevitum esse perhibent, sex saltem saecula serius vixerunt, neque scriptores bonae fidei sunt. 1) Rem igi-

1) Ut judicium sit integrum, auctores, qui hujus malignitatis mentionem faciunt, apposuisse juvabit. Platina (Saec. XV.) in vita Gregorii primi eum defendit a crimine deletorum antiqui temporis aedificiorum. — Johannes Sarisberiensis (Saec. XII. med.) de nugis Curialium lib. II. cap. 26. eum incensae bibliothecae Palatinae accusat. — Antoninus, archiepiscopus Florentinus, (Saec. XV.) auctor nobis est, Gregorium combussisse Titum Livium. — Videas locos huc spectantes apud Baylium: Dictionnaire historique pp. T. II. pg. 1385. Not. L. M. N. — Conferas porro Gibbonis historiam Romanam Tom. VIII. pg. 303 — 304 in vers. Germ. 1790. ab R... confecta.

tur a viris doctis valde addubitatam in medio relinquamus, praesertim cum materies, quamvis nonnulli velint, ad Gregorii primi usque tempora Anacreontis carmina salva fuisse, a nostro tamen proposito alienior sit.

Aliud idemque majoris momenti testimonium Leonis decimi, summi Romae episcopi, legitur apud Petrum Alcyonium. [2] Ille narrat: „se puerum ex Demetrio Chalcondyla, Graecarum rerum peritissimo, audivisse, sacerdotes Graecos tanta floruisse auctoritate apud Caesares Byzantinos, ut integra eorum gratia complura de veteribus Graecis poëmata combusserint, imprimisque ea, ubi amores, turpes lusus et nequitiae amantum continerentur, atque ita Menandri, Diphili, Apollodori, Philemonis, Alexis fabellas, et Sapphus, Erinnae, Anacreontis, Mimnermi, Bionis, Alcmanis, Alcaei carmina intercidisse.“ Nil profecto habeo, quo probitatem Chalcondylae impugnem, et doleo pravam sacerdotum et monachorum religionem, qua praestantissima antiquitatis monumenta periere. Neque vero is sum, qui mihi persuadeam, monachorum saevitiam flagitiosam ita ad literam usque Anacreontis carmina delevisse, ut ne unum quidem alterumve poëmatium integrum ad nos pervenerit. Nonne, ut apud alios, sic apud Anacreontem, nonnulla carmina hic illic latebris abdita manus sacrilegas effugere potuerunt, quae nunc suppositis quidem, quae ars critica secernat, intermixta in manibus ingenuorum versantur? Ecquis ferat, hoc argumentum omnium Ana-

2) Lib. I. de exilio. Homo litigiosus et ebriosus vixit ineunte saeculo decimo sexto. Reperies locum apud Fischerum in ed. Anacr. Praef. pg. L.

creonteorum antiquitatem in discrimen adducere? —

Adversarii Anacreontis, qualis nunc est, porro ad Suidam provocant. Hunc enim auctorem esse ajunt, Anacreontem in carminibus suis dialecto Jonica usum esse. Inde vero, cum in carminibus, quae hodie Anacreontis nomine circumferuntur, Jonicae dialecti vestigia vix compareant, nostras odas spurias esse suspicantur. Sed quantum intelligere potui, Suidas loco laudato de Elegis quidem atque Jambis, a nostris odariis valde diversis, loquitur; minime vero de carminibus, quae Anacreontea vulgo nominantur, quorum pars nostra odaria esse videntur. Ut judicium sit integrum, quae Suidas s. v. Ἀνακρέων de hac re scribit, apponam: Ἀνακρέων Τήϊος, λυρικός. — — Ἔγραψεν Ἐλεγεῖα, καὶ Ἰάμβους, Ἰάδι πάντα διαλέκτῳ. — — Βίος δὲ ἦν αὐτῷ πρὸς ἔρωτας παίδων, καὶ γυναικῶν, καὶ ᾠδάς· καὶ συνέγραψε παροίνιά τε μέλη, καὶ Ἰάμβους, καὶ τὰ καλούμενα Ἀνακρεόντεια. Tantum abest, ut verba urgere et pro mea opinione interpretari velim, ut largiar, priora quoque illa ad subsequentia referenda esse, et Suidam hoc de omnibus Anacreontis carminibus scripsisse. Nam auctoritate Suidae posthabita Anacreontem Teo, Jonum colonia oriundum, patria dialecto usum esse conjicere licet. Satis superque tamen habebimus, quae huic argumento contradici possunt.

Profecto Anacreontis obtrectatoribus nimium indulgeremus, si nobis persuaderi pateremur, nulla omnino Jonicae dialecti vestigia in nostris poëmatiis reperiri. Singulas hujus sermonis formas in nostris carminibus

enumerare haud libet; [3]) nam egregie errant, qui communis omnium dialectorum Graecarum fontis ratione non habita credant, unamquamque Graecorum nationem suum tantummodo loquendi modum, suas verborum formas et suum orationis ordinem habuisse. Omnis enim dialectorum diversitas ad pauca tantum verba earumque formas referenda esse videtur. Quid igitur mirum, nos apud Anacreontem quoque in formas Atticas, quin Doricas incidere, quae et apud Homerum non desunt? Hujus orationis quodammodo mixtae caussas in ipsius Anacreontis vita forsitan invenies. Nonne vir Athenis diu vivens et in Thracia commoratus hac longa peregrinatione aliarum dialectorum rationem addiscere et eis pro commodo suo uti potuit? Quae omnia eo probabiliora mihi esse videntur, quod duo illa odaria, decimum septimum, ab Aulo Gellio laudatum, [4]) et trigesimum octavum, cujus versiculi duo exstant apud Hephaestiona et Scholiastam Aristophanis, [5]) haud clariora Jonicae dialecti vestigia ostendant, quam caetera.

Quod si vero cui Anacreontis dictio verbis formisque, ab Jonica dialecto alienis, nimium commixta esse videatur, is, quae Anacreontis odarum fata fuerint, mente reputato. Nam, quae supersunt, Anacreontis carmina, Venerem Bachumque, numina ubique convivantibus gratissima, resonant. Ore populi circumlatae

3) Conferas exempli gratia: Carm. III. κέκται, μεῦ, θυρέων, φαρέτρην, ἴσιην, καθίξας, παλάμαισι, νευρή, καρδίην.
4) Aul. Gellius. N. A. XIX. 9.
5) Heph. ed. Pauw pg. 16. — Schol. ad. Arist. Plut. v. 302. ap. Dindorf. Vol. X. ed. Invern. pg. 49.

per totam Graeciam inter epulas cantu edebantur, qua migratione per singulas provincias et nationes, loquendi ratione diversissimas, hic illic aliarum dialectorum formas, relictis tamen metri caussa sermonis Jonici vestigiis, in eas irrepsisse non mirandum est. 6)

Injuriae immemores, intempestiva sedulitate grammaticorum, librariorum et interpretum nostris poëmatiis forsan illatae, ad alia respiciamus argumenta, quibus Anacreonteorum antiquitatem adversarii impugnare solent. Quas vero alias difficultates movent, jam inde potissimum dissolvere poteris, quod maxima pars carminum Anacreontis deperdita est. Veruntamen argumenta singulatim adtrectare juvabit.

Nam sibi suspicionem eo injici dicunt, quod veteres scriptores et imprimis, qui mores vitamque Graecorum explicant, multos quidem Anacreontis versus laudent, neque vero

6) Qua in re caussa quoque contineri videtur, cur haec solummodo odaria Anacreontis, eademque spuriis intermixta ad nos devenerint. Nam alia Anacreontis carmina, cantui convivali minus apta, in literis perscripta posteris traderentur, multo facilius temporis injuriam pati potuerunt, quam poësis Anacreontis amatoria, quae ore populi vigebat. Cum vero poëta in his odariis materiem simplicissimam, amorem atque vinum, oratione suaviter variata tractasset, et pro uberrimo suo ingenio ad faeces paene usque exhausisset, imitatorum servum pecus succrevit, et cum serioribus temporibus carmina convivalia literis perscriberentur, multa quoque eademque illepidissima, neque metro, neque sensu Anacreonte digna irrepserunt. — Nostra Anacreontea flores quodammodo esse indicat quoque Anthologia Cephalae.

praeter odam decimam septimam et duos versiculos (sextum et septimum) trigesimae octavae [7]) nostrorum poëmatiorum nullam prorsus mentionem faciant. Res vix aliqua difficultate laborare videtur. Nam cum plurima Anacreontis carmina temporis injuria perierint, quid mirandum, plura ex amissis a veteribus allata esse, quam ex hisce reliquiis Anacreonteorum? Quin imo, cum viri haud spernendi, quorum Gellius adeo decimae septimae odae versus lepidissimos vocat, duo carmina absque ullo dubio Anacreonti tribuant, nonne de aliis, eisdemque ingenio senis Teii dignissimis, judicium secundum praeoccupare liceat?

Filum orationis adversariorum sequentes incidimus in argumentum, quo Horatium sibi propugnatorem excitant. Hunc enim Anacreontis studiosissimum imitatorem fuisse ferunt. Cum vero imitationis vestigia in Horatii odis vix occurrant, nostra Anacreontea spuria esse concludunt. Quibus ut refrager, nec auxilium peto ab eis, qui plurima Anacreontis carmina deperdita esse admonent, — ex quibus quae Latinis numeris reddiderit, quis indaget? — nec ad eos refugio, qui vestigia imitationis in odis Horatii passim aperuisse autumant. Equidem profecto a partibus eorum sto, qui gravitatem Horatii a simplicitate nostrarum odarum valde abhorrere censent.

Porro Strabo [8]) nobis auctor est, poësin Anacreontis laudibus Polycratis tyranni resonasse. Nec minore fide dignus est Maximus

7) Vid. sup. not. 4 et 5.

8) Strabo ed. Casaub. l. XIV. pg. 638. Πᾶσα ἡ ποίησις πλήρης ἐστὶ τῆς περὶ αὐτοῦ (Πολυκράτους) μνήμης.

Tyrius, qui pluribus locis [9]) adolescentes Smerdiam, Cleobulum et Bathyllum ab Anacreonte laudibus celebratos esse posteris tradidit. Libenter concedo, amissorum Anacreontis carminum permulta hominum illorum laudibus abundavisse; cum vero in collectione carminum convivalium singulorum hominum laudes locum aptum vix habere possint, quid mirum, omnia ista praeter nonnullas de Bathyllo odas easdemque spurias penitus interiisse?

Quae in antecedentibus adtigi adversariorum munimenta, ea jam inde concidunt, quod de poëmatibus Anacreontis deperditis judicare non licet. Jam alio propugnaculo se circumvallant; nam plurimas odas, quae Anacreonti vulgo tribuuntur, eo prorsus indignas esse profitentur, easque injuriae opprobrium nequaquam timentes ab Anacreonte abjudicant. Quae his opponam, me scire infitior. Nam equidem non immemor sum, ingenuo cuique sensum inhaerere, quo et probitas et tenuitas scriptorum dijudicari possit, neque nescio, viros doctos ob eam ipsam rem in dijudicandis poëmatiis nostris in diversissimas abiisse partes, ita ut hi nostras Anacreontis odas summis laudibus extulerint, illi vero a conviciis vix sibi temperaverint. Sed quamvis judicium eorum vix in una alterave oda sibi constet, in universum tamen de nostris poëmatiis quaedam disputare libet. Nam si recte judico, Anacreon, temporis fugacis gaudia

9) Maxim. Tyr. diss. VIII. Μετὰ δὲ αὐτοῦ τὰ ᾄσματα τῆς Σμέρδιος κόμης, καὶ τῶν Κλεοβούλου ὀφθαλμῶν, καὶ τῆς Βαθύλλου ὥρας. Cf. porro: Max. Tyr. diss. X. XI. XXI. — Aeliani var. hist. IX. 4.

captans, et rerum hominumque a se remotiorum incurius hilare pectus illico, cum laetitia quasi exaestuabat, in cantus effudit. Quare caveas, ne spem altiorem de his poëmatiis concipias. Omnis enim gravitas spiritusque quodammodo divinus ab eis aliena sunt. Simplicitate et hilaritate magis delectant, quam compositionis arte, sententiarum magnificentia et dictionis ubertate alliciunt. Animum suaviter afficiunt, neque vero mentem graviter commovent. Nil artificiosi in eis; nil, quod longius petitum sit. Omnia secundum naturam simplicissime adumbrata.

Si vero hoc sensu imbutus eis legendis operam des, quamvis multa odaria tibi satisfaciant, plura tamen Anacreonte indignissima esse censebis.

Jam nostra disputatio in eo vertitur, ut odas secernamus, quae Anacreonti originem vix debeant. Qua in re probabilitatem legibus, ut par est, suffultam sequamur necesse est. Ne tamen finibus, nimium quantum laxatis, vagemur, et fragmentorum et eorum poëmatiorum, quae ab aliis scriptoribus veteribus reservata Anacreonti disertis verbis adscribuntur, vix rationem habebimus; nos potissimum ad ea respiciamus necesse est, quae a Stephano primum in lucem prolata flores ex Anacreonteis decerpti esse feruntur. [10]) Illa tamen non ita a nobis remittimus, ut eorum auxilio ad firmandas regulas quasdam carere velimus.

Has vero regulas in dijudicandis Anacreonteis sequi apud animum constitui:

10) Legas haec odaria apud Fischerum usque ad od. 55.

I. *Poëtam unam eandemque materiem ad verbum paene usque variare dedecet.* Profecto is ego non sum, qui poëtae licentiam, materiem suam retractandi vel emendandi concedere nolim; quin imo virtutem quandam poëticam inde effici posse non nego. Si vero incidimus in carmina, quae ab uno eodemque auctore bis terve variata esse feruntur, quis suspicionem a se repellat, hoc vel illud carmen uni alterive de grege imitatorum originem debere? Quam regulam in Anacreonteis sequi, et secundum eam nonnullas odas, alias imitantes, homunculis Anacreonte obscurioribus adscribere liceat.

Od. 16. Inficias non eo, odam decimam sextam carminis primi imitationem, neque tamen invenustam esse.

Od. 18. Pessima atque metro, verbis et sensu homine stupidissimo dignissima imitatio suavissimi carminis decimi septimi legitur in oda decima octava, quam fusius recensere piget pudetque. [11])

Od. 29. Offendor deinde odariis illis, vigesimo octavo et nono, quorum hoc mihi alterius non modo sensum, sed versuum et verborum quoque seriem anxie, ut ita dicam, sequi videtur. Nam nihil aliud hoc odarion sibi vult, quam ut pulchrum puerum, Bathyllum, a vertice ad pedes usque secundum exemplar formosissimae puellae, quam od. 28 depingit, pulchritudinis juvenilis ratione quidem habita, describat. — Porro hoc odarion metri legibus non satisfacit, [12]) et impudicitia

11) Sunt versus politici. Nil moneo de usu verborum τορεύειν et ἀπλοῦν, quae sibi contradicunt.
12) Vid. sequentia.

sua, comico quidem poëta apud Graecos dignissima, Anacreonte indignissimum est. Posthabitis tamen, quae ab hoc loco aliena sunt, haec oda cum antecedente, ei simillima, concidat necesse est, quippe quam ob verba, in ea occurrentia, damnare debeamus.

Od. 31. In imitationem odae decimae tertiae incidimus in carmine trigesimo primo. Eandem materiam: „*vino inebriatum se furere velle*" poëta majore labore retractat; nam quanto molimine opus erat, ut *quattuor* exempla hominum insanientium ex mythologia congereret, versibusque operosis innecteret?

Od. 49. Cum indagandis imitationis vestigiis operam demus, fragmentum istud, quod legitur in oda 49 ap. Fisch. praetermittere non licet, quippe quod imitatio male felix carminis 28 sit.

Veruntamen hac in re omittendae erant odae, quae in singulis verbis versibusque similitudinem quandam habent. In hunc numerum refero odas 5 et 6, quae ab initio sibi non dissimiles sunt; [13]) porro odas 25, 26, 27 et 39. Quae tamen omnes et ob sensus tenuitatem et ob metri pravitatem Anacreonte indignissimae esse videntur.

II. *In nonnullis odariis verba suspicionem in Anacreontem excitant.* Qua in re valde nobis ab injuria caveamus necesse est. Nam bene memores, argumenta, ex singulis verbis phrasibusque petita, suis difficultatibus laborare, nostrum judicium de paucis tantummodo odis feremus, in quibus vestigia serioris temporis facillime comparent.

13) Conf. od. V. 3 — 5 et od. VI. 1 — 3.

Od. 15. Suspicionem mihi injiciunt verba: τὰ Γύγεω. Nam primum hoc teneas, Anacreontem Croesi temporum aequalem fuisse, et mihi credas, poëtam, proxima quaeque ubique arripientem, si divitiarum copiam describere voluerit, Croesum, ditissimum orbis terrarum virum, in auxilium vocaturum fuisse. Huc accedit, jam Archilochum, Gygis aequalem, in fragmento, quod exstat apud Plutarchum, [14]) eisdem paene verbis usum esse. — Versus vero, qui in fine carminis leguntur, quique in Anthologia omissi sunt, fragmentum, nostrae odae assutum, esse videntur.

Od. 28. Timeo, ne verba: Ῥοδίης χάρανε τέχνης [15]) hoc odarion pessum dent. Equidem non infitior, artem pictoriam in Rhodo insula quondam floruisse, et Pindarum quoque statuarum in Rhodo mentionem facere; sed Pindari, nedum Anacreontis temporibus perfectiorem pingendi artem et in Rhodo, et in Graecia floruisse, hoc nego. [16]) Qui igitur fieri potuit, ut ars pictoria ab Anacreonte Ῥοδίη τέχνη nominaretur?

Od. 36. Verba: ῥητόρων ἀνάγκας ad auctorem, Anacreonte seriorem, deducunt. Nam

14) Plutarchus de tranquillitate animi ita scribit:
Οὔ μοι τὰ Γύγεω, τοῦ πολυχρύσου, μέλει,
Οὐδ' εἷλέ πώ με ζῆλος, οὐδ' ἀγαίομαι
Θεῶν ἔργα· μεγάλης δ' οὐκ ἐρῶ τυραννίδος
Ἀπόπροθεν γάρ ἐστιν ὀφθαλμῶν ἐμῶν.

15) Ita absque ullo dubio legendum est. Nam quid sibi velit: ῥοδέη τέχνη, rosea ars?

16) Vid. Boeckh. ad Pind. Olymp. VII. v. 32 — 53. Quae ex Plinii hist. nat. afferunt interpretes, ad tempora Protogenis deducunt. Cf. Plin. ed. Franz. VII. 39. XXXV. 36. 11. aliosque locos.

quis, quaeso, temporibus Anacreontis rhetores eorumque praecepta novit? Verba potius Periclis et Sophistarum tempora indicare videntur.

Od. 51. Notum est, verbum τορεύειν de *vasis caelatis* sive de *opere anaglypho*, χαράσσειν vero (sculpere, incidere) de *opere diaglypho* usurpari. In hoc vero odario ambo verba de una eademque re adhibentur. Licetne igitur, hanc quoque odam misello cuidam poëtillae adscribere?

Od. 55. Verba: Παρθίους τις ἄνδρας Ἐγνώρισεν τιάραις me offendunt. Vix moneo, — nam ab hoc loco alienum est, — Parthorum tiaras cum notis, equorum clunibus inustis, componi meliore poëta indignissimum esse. Me quoque non fugit, apud Herodotum lib. III. 93. Parthorum mentionem fieri; sed Anacreontis aetate, qui centum fere annos prior, quam Herodotus, fuit, Parthos tam claros fuisse, ut similitudinem tolerabilem ab eis depromere posset, hoc mihi persuadere non possum.

III. *Multas odas metri pravitas pessum dat.* Necessarium esse videtur, pauca de metro Anacreonteo disserere. Omnia tamen, quae proferam, ex eis carminibus deducenda esse videntur, quae aut a veteribus Anacreonti dantur, aut eo auctore dignissima sunt.

Horatius quidem nobis auctor est, Anacreontem in numeris carminum elaborandis parum diligentem fuisse.[17] Quis tamen Ho-

17) Hor. Epod. XIV. 9 — 13.
Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo
Anacreonta Teium:
Qui persaepe cava testudine flevit amorem
Non elaboratum ad pedem.

ratio, qui e deperditis poëmatibus, in quibus Anacreon aliis metris verisimillime usus est, judicium suum forsan depromsit, ob id ipsum irascatur? Quod si vero meliores quoque et genuinas Anacreontis odas, quae ad nos pervenerunt, Horatius hac in re respexerit, quid mirum, cum multis viris Romanum quoque poëtam in eundem errorem incidisse? Nam ante Hermannum — quem vero potiorem sequamur? — illa opinio pervulgata erat, Anacreontea nostra metro Jambico esse composita. Hanc vero-opinionem falsam esse, jam inde apparet, — ut hoc saltem moneam, — quod in Jambico metro longa syllaba ab initio secundi pedis ferri nequeat, nisi quis omnes regulas metricas turbare velit.

Jam inde apparere videtur, metrum Anacreonticum nequaquam Jambicum esse posse. Potius credas, metrum nostrum constare dimetris Jonicis a minore, [18]) et hos habere numeros:

$\smile\smile\acute{-}\acute{-},\ \smile\smile\acute{-}\breve{\underline{\ }}.$

His numeris concepta exstat suavissima oda 30; nam substituta longa syllaba in locum duarum brevium Molossus pro primo Jonico ibi legitur, ita ut singuli versus hanc habeant formam:

$-\acute{-}\acute{-},\ \smile\smile\acute{-}\breve{\underline{\ }}.$

Cum vero hoc metrum, si longius continuetur, duri et injucundi, nescio quid, habeat, veteres substituendo metro Trochaico, aeque atque in Jonicis a majore, sibi consu-

18) Consulas de hac re Hermannum in libro celeberrimo: Elementa artis metricae. 1816. pg. 473 — 504.

luerunt. Qua vero in re Anacreon eam legem secutus esse videtur, ut brevi uniuscujusque Trochaei syllabae longam substituat, ita tamen sibi temperans, ut in secundo pede Trochaico syllabam longam non usurpet. [19])

Ex quibus omnibus apparere videtur, metrum Anacreonteum nequaquam suis regulis et legibus carere. Sed jam tempori est, ostendere, quid momenti haec omnia in nostram caussam habeant.

Mihi quidem Anacreon in componendis carminibus, quae nunc quoque eo auctore gaudere possunt, duplicem viam ingressus esse videtur. Nam ubique forma Trochaica Jonici a minore usus est, ita tamen, ut vel duplicem vel simplicem anacrusin constanter servaret. Ut ita credam, [20]) eo me perducunt et odae, a veteribus Anacreonti adscriptae, et meliorum carminum metri ratio. Quod si mihi haec dare velis, jam videbis, carmina quoque, in quibus hae regulae neglectae sint, sensu Anacreonte indignissima esse.

19) In nonnullis odariis, quae aut corrupta, aut spuria sunt, syllaba longa in secundo pede Trochaico occurrit. Cf. XV. 15. XXXI. 4. XXXII. 18 et 25., quas spurias esse aliis de caussis mihi persuasi.

20) De eis, quae re vera genuina sunt, carminibus, nec non de eis, quae Anacreonte auctore dignissima sunt, haec regula statui posse videtur. Hoc etiam notandum, solutiones Trochaei in Tribrachum, alibi frequentatissimas, in melioribus Anacreonteis rarissime occurrere.

Redeo ad primum genus versuum Anacreonteorum, quod substituta forma Trochaica hos habet numeros:

⏑⏑ | –́ ⏑ – ⏑, –́ ⏑.

Forma Jonica in melioribus Anacreonteis rarissime occurrit; praevalet forma Trochaica, hac quidem lege, ut anacrusis duplex nec in Trochaeum, nec in Jambum, nec in aliam formam metricam mutari possit. Ad has leges composita sunt carmina: 3. 4. 7. 8. 21. 43. 44. 45.

Alterum genus versuum Anacreonteorum eosdem fere numeros habet, nisi quod poëta ab initio anacrusin simplicem aut longam, aut brevem in quovis carmine constanter servet. Hac enim forma metrica usus esse videtur:

⏓ | –́ ⏑ – ⏑, –́ ⏑.

Hoc modo composita leguntur carmina: 1. 2. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 17. 19. 33. 38. 40.

Tertium denique idemque pessimum genus carminum Anacreonti datorum occurrit, in quo simplex et duplex anacrusis pro lubitu commiscentur. Me Hercule! non dubito, haec carmina ab Anacreonte abjudicare, eaque potius versificatoribus obscurissimis tribuere. Mecum consenties, spero, si ipse has odas inspexeris, earumque metri pravitatem sensusque tenuitatem intellexeris. Tot vitiis scaturiunt, ut ne cum Hermanno quidem eis manum emendatricem optare velim. Nam si quoque summae doctrinae auxilio operoso viri docti, a vi sibi non temperantis, unius alteriusve poëmatii metro medeantur, quid utili-

tatis indè ad nos redundet, cum sententiarum stoliditas resideat? — Conferas, sis, poëmatia 5. 6. 22. 25. 26. 27. 29. 36. 39. 53, quorum in nonnullis etiam Trochaica anacrusis contra usum Anacreonti solemnem pluries legitur.

Qua in re odas 18 et 24 intactas reliqui, quae versibus politicis compositae sunt, quorum haec est ratio, ut spreta justa syllabarum mensura utcunque numero verba accommodentur. Istas odas recentiorum quorundam hominum poëmatia esse, quis dubitet?

Denique in oda 34, jam a Brunckio damnata, versus nimium a metri Anacreontici ratione recedere, et Choriambos imitari videntur.

IV. *Nonnulla odaria argumenti tractatione Anacreonte indigna sunt.* Qua in re mihi quidem parum confido, non ignarus, judicium de pulchritudine admodum ambiguum esse. Cum vero tot summos atque doctissimos viros adjutores et propugnatores habeam, eorum sententiam, passim obscuriorem, adjectis meis qualibuscunque adnotationibus, brevissimis tamen, quasi commentari et interpretari visum est.

Od. 20. in ea, qua hodie legitur, forma Anacreonti vix originem debet. Carmen ex duobus fragmentis compactum esse videtur, quamvis interpretum refugium me non lateat. Quis enim tale quid ferat: Niobe et Philomela, illa in lapidem, haec in volucrem mutatae sunt; utinam — hoc enim interjiciunt — in varias figuras me ipsum transformare possem?

Od. 23. mihi cum Fabro et Brunckio verbis et sensu ab elegante simplicitate Teii senis nimium recedere videtur.

Od. 32. Hoc carmen mihi artificiosius et nimium ad numerorum addendorum rationem compositum esse videtur. Quid porro cum Anacreonte geographicae scientiae ostentatio, eademque haud sine labore in auxilium vocata? Quid lepidi in amoribus istis innumerabilibus, Gades et Bactrorum atque Indorum fines transgredientibus? Insuper in oda sequenti simile quoddam argumentum, amorum infinitatem, idque me judice suavius tractat.

In *od.* 35, quam fragmentum esse Hermannus, Degenius aliique censent, quamque inter alios Brunckius ab Anacreonte abjudicat, me jejuna ista atque frigida et omni ornatu poëtico carens tabulae pictae descriptio quam maxime offendit, si quoque Anacreon, quod vix credam, tali argumento tractando operam dederit.

Od. 37, a Brunckio damnata, e duobus fragmentis composita esse videtur, quorum alterum versu nono finitur, alterum vero metro laborat.

Od. 41. Haec oda in literis initialibus dispositionem perquam subtilem prodere videtur. Mihi largieris, spero, literas, quin verba initialia quater repetita lusum esse poëticum, non modo a simplicitate Anacreontis, sed etiam ab ingenio boni poëtae valde abhorrentem. [21])

21) Conf. v. 3 — 7. Τὸν. — v. 7 — 11. Δι' ὃν — v. 20 — 25, ubi litera μ initio quater legitur.

Od. 42. a Fischero spernitur, neque nego, languorem quendam ei inesse, a vivacitate senis Teii alienissimum.

Od. 46. argumentum: „*sine pecunia in amore nihil valemus*“ admodum leviter sine omni vi poëtica ad numeros singulorum pedum tractat. Quomodo poëta, qui Polycrati tyranno talenta oblata sponte sua reddiderat, ita sibi illudere potuit?

Od. 47 *et* 48. fragmenta esse videntur.

Od. 50. Quae ad odam 41 monui, in hanc quoque odam cadere possunt. Nam suspicionem mihi injicit lusus verborum: ἐν πόνοις, ἐν πόθοις et ἐν πότοις, quem longissime petitum esse quis neget? Caetera quoque nimis artificiose compacta esse videntur.

Od. 52. Haec oda, a Brunckio, Fischero atque Degenio pro spuria habita, poëtam non spirat, et caret ea teneritate, qua Anacreon materiem suam tractare solet. Vid. vers. 14 seq.

Od. 54. Hoc odarion a Brunckio rejectum est. Sensus aliquid quaesiti habet, nec obscure ad od. 38. respicere videtur. [22])

Quae omnia in honorem Teii senis disputata sunto, ne importunus quidam antiquitatis amator viro politissimo et poëtae summo poëmatia forsan ista obtrudat, quorum parentem esse eum puderet. Quare in hoc judicio paulo severiore pauca tantum

22) Caeterum nota, quo propius ad finem nostrae collectionis accedas, eo pejora carmina occurrere.

odaria Anacreonti servata sunt, de quorum praestantia judicium mihi stat. [23]) Si quid erraverim, candidus imperti.

23) Haec fere sunt: 1. 2. 3. 4. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 17. 19. 21. 30. 33. 38. 40. 43. 44. 45. In his quoque inesse possunt, quae imitatori lepidissimo originem debent; sed ea omnia Anacreonte dignissima et metro perfectissima esse concedes.

II.

Commentatio

de

FORMA HODIERNA

ORATIONIS DEMOSTHENIS PRO CORONA.

Haud male de studiis antiquitatis mereri videntur, qui in scriptis veterum singulis verbis, quantum et librorum manu scriptorum et acuminis ope fieri potest, emendandis operam impendunt, mendisque sublatis sensum eorum altius eruere student. Neque vero minore laude digni sunt, qui aut in virtutes et vitia scriptorum antiquorum inquirunt, aut argumentis firmissimis, num genuina sint, necne, num integra et salva exstent, an temporum injuria depravata et mutilata ad nos pervenerint, probare conantur. Qua in re hoc maxime cavendum est, ne materies, ut fieri assolet, ad frivolam istam judicandi rationem detrudatur, quae misera quadam acuminis ostentatione innutritur, atque ob meram nova et insolita proferendi cupidinem veritatis parum curam habet. Quo altius autem veritatis studium animo inhaeret, eo magis mihi, de forma hodierna orationis Demosthenis pro Corona nonnulla disputaturo, prospiciendum erit, ne a recta via aberrem, praesertim cum judicia et veterum et recentiorum de hac oratione, difficillime exaequari possint.

Nam veteriores scriptores, iidemque viri, nequaquam spernendi, qualis Dionysius Halicarnassensis atque Cicero hanc orationem summis laudibus ornant, eamque inter praestantissima omnium temporum monumenta referunt, Ille enim pluribus locis nostram orationem omnium pulcherrimam judicare nil du-

bitat; [1]) neque minore laude eam dignam censet Cicero, dum scribit in Oratore cap. 38: „Ea profecto oratio (pro Corona) in eam formam, quae est insita in mentibus nostris, includi sic potest, ut major eloquentia non requiratur.“

Photius vero (saec. IX.) nobis auctor est, orationibus Demosthenis in Midiam atque Aeschinem hoc opprobrio dari, quod in eis auctor morem suum parum servaverit, et in eis perpoliendis tam negligenter versatus sit, ut ambae in prima adumbratione ad nos pervenisse videantur. Nam in Bibliotheca sua (pg. 800 ed. Hoeschel.) ita scribit: Καὶ ὁ κατὰ Μειδίου δὲ καὶ κατ᾽ Αἰσχίνου λόγος αἰτίαν ἔσχε τοῦ μὴ τὴν αὐτὴν κατὰ πάντα ἀρετὴν τῷ Δημοσθενικῷ συνδιασώσασθαι χαρακτῆρι. Καὶ γὰρ ἐν τοῖς δυσὶ τούτοις λόγοις ἐκ διαλειμμάτων τινῶν ταῖς αὐταῖς ἐννοίαις ἐπιβάλλων, ἁμιλλᾶσθαι δοκεῖ πρὸς ἑαυτὸν, ὥσπερ ἀσκούμενος, ἀλλ᾽ οὐκ ἐπ᾽ αὐτοῖς ἀγωνιζόμενος τοῖς ἔργοις. Διὸ καὶ τίνες ἔφησαν, ἑκάτερον λόγον ἐν τύποις καταλειφθῆναι, ἀλλὰ μὴ πρὸς ἔκδοσιν διακεκάθαρθαι. — — Μάλιστα δὲ ὁ κατ᾽ Αἰσχίνου λόγος παρέσχεν αἰτίαν, ἐν ὑπομνήμασι καταλελεῖφθαι, οὔπω τὴν ἐργασίαν ἀπειληφὼς τελείαν. Διότι καὶ, αἱ πρὸς τὴν κατηγορίην πολλὴν ἔσχε τὴν ἀμυδρότητα καὶ κουφότητα, ἐπὶ τῇ τελευτῇ τοῦ λόγου παρέθετο· ὅπερ οὐκ ἂν περιεῖδεν ὁ ῥήτωρ, εἰς ἐξέτασιν ἀκριβεστέραν τῶν ἰδίων λόγων καταστάς.

Videmus igitur, veteres serioribus saltem temporibus in hac oratione sententias passim repetitas et argumenta ad defensionem leviora in fine collocata incusare solitos esse. Ut videamus, quo jure haec Demostheni opprobrio

1) Exemp. gr. in libro de compositione verborum. Vol. V. pg. 204. ed. Reiske: ἄψομαι — τοῦ ὑπὲρ Κτησιφῶντος (λόγου), ὃν ἐγὼ ἀποφαίνομαι κράτιστον ἁπάντων λόγων.

dari possint, lectorem et auditorem discernamus necesse est. Mihi quidem, orationem *legenti*, Demosthenes quoque passim diutius in quibusdam argumentis immorari videtur; quod tamen in actione, qua pro salute sua decernebat, coram plebe varia et commutabili in concione quodammodo fluctuante nec raro tumultuante necessarium fuisse credo. Argumenta enim graviora hoc modo auditoribus commendat, eosque, ut rem mente percipiant, veluti cogit. Neque bono jure Photius finem orationis nostrae incusat. Nam cum inimicus acerbissimus idemque callidissimus oratione splendidissima famam viri probissimi labefactasset, jam Demosthenis erat, ipso ab initio accusatorem malignum omnibus viribus petere, ut eum, si forte judices in audienda actione tam longa languescerent, victum tamen et pedibus quasi contritum relinqueret. Quod si vero rem ab argumentis levioribus ad graviora transgrediens tractasset, me judice orator in hac actione, quae plus quam dimidiam diei partem sibi postulabat, parum saluti suae consuluisset. [2]) Ut ita judicem, eo quoque me perducunt, quae in exordio nostrae orationis (pg. 230 — 243) de pace cum Philippo facta proferuntur; quae omnia, nisi Demosthenes,

2) Etiam Aeschines iste callidissimus talem Demosthenis defensionem auguratus esse videtur. Cur, quaeso, postulasset, ut Demosthenes actionis quidem suae, neque vero accusationis scripto propositae ordinem sequeretur, nisi timuisset, ne vir probissimus eum jam ab initio contereret? Nam quae Aeschini gravissima, eadem Demostheni infirmissima erant argumenta. Quod si illa, orationem ordiens, tractare ab Aeschine coactus esset, magnum detrimentum inde tulisset.

quam primum potuit, adversarii jugulum petere eique omnem fidem praeripere voluisset, in tractatione argumenti suum locum habuissent.

Ita quoque judicia diversissima cum Ciceronis atque Dionysii, tum Photii inter se conciliari posse videntur. Illi enim, nostram orationem summis laudibus ornantes, caussae rationem respexisse videntur; hic vero, eam vituperans, regulas, quas rhetores, easque in causis vulgaribus probissimas praecipere solebant, verisimillime in judicio suo secutus est. Neutiquam tamen concesserim, a Demosthene hanc orationem, qua honorem, opes, patriam, imo vitam sibi servaverat, neglectam esse; quin crediderim, Demosthenem post victoriam de inimico acerbissimo reportatam in ea perpolienda quam maxime desudavisse. Operae pretium est, oratorem summum a crimine negligentiae defendere, et emendationis vestigia, si quae sint, in ipsa oratione, quantum sine levitatis opprobrio fieri potest, indagare. —

Ex recentioribus Taylorus duplicem orationis pro Corona editionem suspicatus, nostramque ex ambabus compactam esse opinatus est. Ad hanc sententiam confirmandam plures loci ab eo proferuntur, qui disertis verbis in nostra oratione reperta esse dicuntur, qui vero, cum nullibi in nostra editione legantur, e priore depromti esse ei videntur. Jam videamus locos, et nostrum qualecunque judicium de his feramus.

Loci viro docto in auxilium vocati maxime apud Ulpianum, Suidam, Harpocrationa, Thomam Magistrum et Athenaeum leguntur, qui vero ex eis nostram caussam adjuvare possunt, hi fere sunt:

Ulpianus in scholiis ad Philipp. I. disertis verbis ex nostra oratione profert: τῶν δὲ πλοίων τὰ μὲν συντριβόμενα ταῖς ἀποστολαῖς.

Thomas Magister s. v. ἑταίρα affert: τοῦ μὲν τὸν πατέρα ἡταιρηκέναι, τοῦ δὲ τὴν μητέρα πεπορνεῦσθαι.

Ab eodem s. v. τί διαφέρει ex nostra oratione laudantur: τί δοῦλον ἢ ἐλεύθερον εἶναι διαφέρει;

Apud Athenaeum lib. IX. cap. 11. (ed. Casaub. pg. 486.) legitur ex oratione de Corona: φιάλας Λυκιουργεῖς δύο.

Quamvis plures insuper loci reperiantur, eis tamen uti noluimus, et quia haec pauca exempla jam sufficiant, et omnes loci diligentius inspicienti suspicionem moveant. Nam qui negligentiam et incuriam veterum scriptorum in conscribendis potissimum verborum indicibus experientia perspectam habet, saepius eos, cum in tanta illa librorum penuria vix aditus ad scripta pateret, memoria deceptos esse infitias non ibit. Quod in nostra oratione saepius accidit, cum illi viri et ob tituli quandam similitudinem orationes: κατὰ Στεφάνου ψευδομαρτυριῶν atque περὶ στεφάνου τῆς τριηραρχίας cum nostra confunderent, et ob materiem a nostra haud prorsus abhorrentem in orationem περὶ παραπρεσβείας delaberentur.[3]) Neque

3) Exemplis paulo gravioribus haec probavisse juvabit. Errat Suidas s. v. καταψευδομαρτυρηθέμενος, quod Harpocratio sub eadem voce diserte ex oratione κατὰ Στεφάνου laudat, ubi reperitur. — Errat Suidas s. v. φαρμακός, quem meliora docuisset idem Harpocratio. — Conferas porro Suidam et Harpocrationa s. v. σόλας, quae vox legitur in oratione περὶ τοῦ στεφάνου τῆς τριηραρχίας. — Errat Thomas Magister s. v. ξαίνω et λογογράφος, nam quae ibi leguntur, invenies in oratione περὶ παραπρεσβείας. —

illi loci, quos supra laudavi, ad verba, quibus originem debent, in nostra oratione obscure reducunt. Ulpianus quidem ad eum locum respexisse videtur, qui legitur pg. 262. (§. 85.) et Thomae Magistro, memoria nimium freto, ob animum versata esse videntur pg. 270 et 296 med. (§. 105 et §. 158.) De Athenaeo judicare non ausus sum.

Quod si igitur his omnibus vix aliquod momentum in rem nostram dare possimus, ego tamen cum Tayloro in nonnullos locos nostrae orationis offendi. Videamus, quid auxilii forsan locis difficilioribus ferre possimus.

Cum orationem ne verbo quidem te offendente legere inceperis, jam incidis in locum istum infaustissimum, qui legitur inde a pagina 229 [4]); quem si totum atque iterum iterumque perlegeris, singulos versus pensaveris, omnesque penitus intellexeris, en! conclamabis, estne hic studiosissimus ille atque diligentissimus Thucydidis sectator et imitator, qui verbis fulmina contorquebat, quique quot verba, tot spicula conjiciebat? Quibuscum si comparaveris judicium, quod Quintilianus de eo fert: [5]) „oratorum longe princeps Demosthenes, ac paene lex orandi fuit: tanta vis in eo, tam *densa* omnia, ita quibusdam *nervis intenta* sunt, tam *nihil otiosum*, is dicendi modus, ut nec quod desit, nec quod *redundet*, invenias", in eam fere opinionem cogeris, Demosthenem hic sibi parum constitisse: tot repetitiones, tot sensus variationes, tam plumbeus quasi orationis incessus, tam laxus pe-

4) Ed. Harl. cap. 6. — Ed. Wunderl. §. 10 — 12.

5) Quint. instit. orat. X. 1 med.

riodorum connexus. Veruntamen videamus, num interpretatione locum sane difficilem adjuvare possimus.

Consilium totius loci hoc esse videtur, quod malignitatem adversarii, quam accusationis ratione ostenderit, nota justa insigniat, et judicum animos, accusationis magnitudine vehementer forsitan commotos, in gratiam reconciliet. Quod ita instituit, ut primum profiteatur, crimina ab Aeschine in se collata atrocissima esse, ita ut de eis ultima supplicia leges statuant. Tunc sequitur apantesis, 6) cujus haec est ratio, ut antecedentis sententiae gravitatem refringat. Apantesis vero duplicem sententiam exhibet; nam in ea Demosthenes et praesentis caussae rationem malignam esse contendit, et accusationem tantopere in immensum auctam esse profitetur, ut respublica secundum leges suas ne poenas quidem criminibus dignas petere possit. In eis, quae subsequuntur, malignitatem accusatoris propius exponit, et quidem ita, ut verba: οὐ γὰρ — — Ἀθηναῖοι sententia generalis sint, et ad

6) Vide Dissenium in praefatione novae edit. Wunderl. — Paulo aliter judicat Scholiasta, cujus verba ex edit. Bekkeri pg. 276. huc transcripsi: Εἰσὶν δύο προτάσεων θέσεις, εἶτα αἱ δύο λύσεις ἑξῆς· ὅρα τοίνυν οὕτως. Τὰ μὲν οὖν κατηγορημένα πολλά· ἰδοὺ, μία πρότασις. ἡ δὲ πρὸς ταύτην ἀπάντησις Τῶν μέντοι κατηγοριῶν καὶ τῶν αἰτιῶν τῶν εἰρημένων. ἵνα γένηται ὁ νοῦς τοιοῦτος· πολλὰ μὲν κατηγόρησε καὶ μέγιστα κακὰ, τούτων δὲ δίκην λαβεῖν διὰ τὸ μέγεθος οὐχ οἷόν τε. καὶ τοῦτο μὲν οὕτως. λάβωμεν δὲ καὶ τὴν ἑτέραν πρότασιν. ἔστι δὲ Τοῦ δὲ παρόντος ἀγῶνος ἡ προαίρεσις αὕτη. Καὶ σύναψον αὐτῇ τὸ δεύτερον ἐπιχείρημα, ὅ ἐστιν Οὐ γὰρ ἀφαιρεῖσθαι δεῖ τὸ προσελθεῖν τῷ δήμῳ· ἵνα γένηται τὸ σαφὲς οὕτως· ἡ προαίρεσις καὶ ἡ φύσις τοῦ ἀγῶνος ἀνδρὸς φθονεροῦ τυγχάνει καὶ πονηροῦ καὶ βασκάνου.

apantesin universam respiciant, tunc vero in verbis: ἀλλ' ἐφ' οἷς — — ἐγράψατο duplici ratione malignitas accusatoris exprimatur. Nam Aeschines — ita fere loquitur — me in ipsis factis accusare, neque alium, Ctesiphontem, me petens in judicium vocare debuisset. Veruntamen — ita pergit — justae accusationis mei ipsius optima ansa legibus, judiciis et poenis ei data erat, et si hoc agendi modo usus esset, nil eum vituperarem. Jam vero accusationem ad res ipsas omisit, et alium, me petens, pro me accusavit.

Profiteor, me nullo alio modo locum interpretari et intelligere potuisse. Attamen, si locum secundum hanc interpretationem iterum iterumque lego, eum Demosthene vix dignum judicare possum. Nam infitiari non possumus, hanc materiam multo simplicius tractari potuisse; quare lubenter cum Scholiasta consentimus, qui scribit: ἐν τούτοις τοῖς ῥητοῖς ἀσάφεια ἐστι πολλή, nam verba quidem perspicua sunt, sed sententiae singulae claudicare videntur. Huc accedit, quod eaedem sententiae, quin eadem verba in hoc loco repeti videntur. Quis vero hoc non miretur in oratore omnium densissimo? 7) Legimus quidem apud Quintilianum, 8) Demosthenem judice Cicerone interim dormitasse, neque nego, *rebus* exponendis et in nostra oratione passim diutius immoratum esse; eum vero alias *verbis* et *sen-*

7) Quint. X. 1.
8) Quint. XII. 1 — quamquam ne ipsi Ciceroni Demosthenes satis videatur esse perfectus, quem dormitare interim dicit. — Cic. Or. 104. Tantum abest, ut nostra miremur, ut nobis non satisfaciat ipse Demosthenes.

tentiis, ad eadem recurrentibus, tam largum fuisse, quam in nostro loco, vix crediderim. Quae omnia mihi suspicionem injiciunt, nostrum locum corruptum esse. Equidem infitias non eo, mihi verba; *τῶν μέντοι κατηγοριῶν* —— *παρανόμων γραφόμενον* non modo non jejuna, sed etiam prorsus superflua esse videri. [9]) Crediderim igitur, Demosthenem exemplari cuidam correctionem, quae in sequentibus legitur, aut ad marginem aut supra lineas adscripsisse, et ambas lectiones librariorum sedulitate in textum intrusas esse. Neque nescio, apud veteres scriptores difficillimum dictu esse, quae verba ex editione prima, aut e curis secundis profecta sint; nihilominus tamen loco infaustissimo medendi conatum reticere nolui. —

Jam videndum est, num alia vestigia emendationis in nostra oratione reperiantur. Taylorum ducem sequar, cujus a partibus, in pagina 246 (§. 48 et 49.) eandem rem his exprimi censentis stare non possum. Videamus verba.

Cum Demosthenes infelicissimam istam totius Graeciae conditionem et commoda inde in Philippum, proditoribus ubique faventem, eorumque avaritiae satisfacientem, redundantia brevibus adumbrasset, jam ad ea transgreditur, quae in tali rerum statu Atheniensibus agenda fuissent. Quaenam partes, Aeschines,

9) Igitur legerim locum: Τὰ μὲν οὖν κατηγορημένα πολλὰ καὶ δεινὰ, καὶ περὶ ὧν ἐνίων μεγάλας καὶ τὰς ἐσχάτας οἱ νόμοι τάττουσι τιμωρίας· τοῦ δὲ παρόντος ἀγῶνος ἡ προαίρεσις αὕτη ἐχθροῦ μὲν ἐπήρειαν ἔχει καὶ ὕβριν καὶ λοιδορίαν καὶ προπηλακισμὸν ὁμοῦ καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα. Οὐ γὰρ δήπου Κτησιφῶντα μὲν δύναται διώκειν δι᾽ ἐμέ· ἐμὲ δ᾽ εἴπερ ἐξελέγχειν ἐνόμιζεν, αὐτὸν οὐκ ἂν ἐγράψατο. κ. τ. λ.

— ita interrogat — his in angustiis nobis capessendae erant? Num ut Thessali eorumque socii, ita nos Philippum in consiliis suis de opprimenda Graecia *adjuvare* voluissemus? Num ut Arcades aliique, ita nos domi sedentes atque socordiam nobis commodo futuram autumantes, Philippo hostilia in Graeciam moliente *otium agere* potuissemus? Subsequentia eandem fere sententiam exprimunt, sed hac repetitione rei tractandae majorem vim addidisse videtur. Nam se convertit ab Aeschine ad *quemvis alium* civem Atheniensem, eundemque sibi infestissimum, dicens: Et *nunc* quoque unumquemque rerum a me gestarum reprehensorem acerbissimum rogaverim, num Thessalorum aliorumque partes capessendae fuerint, an eam agendi rationem sequi oportuerit, quam secuti sumus? — Habent igitur priora verba sensum specialem, (ad Aeschinem respiciunt) ulteriora vero sensum generalem, (populum Atheniensem universum alloquuntur.)

Plures quidem loci in discrimen aguntur; sed timeo, ne loci a Tayloro et Seylero prolati in laudem oratoris omnium temporum eloquentissimi verti possint.

Nam Seilerus [10]) suspicatur, locum, qui legitur in pg. 291 fin. (§. 148.) ex alia editione nostrae orationi insertam esse, quippe qui prorsus jejunus et superfluus sit. A viro docto hac in re dissentio, nam omnia verba bene cohaerere, quin necessaria esse credo. Respicias, quaeso, singula. Cum Demosthenes Atheniensium trepidationem post nuntium de Elatea a Philippo capta pulcherrime depinxisset, se-

10) In versione Germanica pg. 151.

que tantis in angustiis unicum populo suasorem et foederis cum Thebanis facti auctorem fuisse Atheniensibus in memoriam revocasset, jam probat, sese, quamvis res ad Chaeroneam male gestae sint, meliora tamen suadere non potuisse. Facilitatem meam, inquit, erga obtrectatores hoc cumulo augebo, ut si quis *etiam nunc* meliora suadere possit, aut omnino alia, quam quae ego praecipiebam, sequi licuerit, me peccasse fatear. In subsequentibus caussa exhibetur, qua se peccasse confessurus sit: nam sese omnia civitati tunc profutura prospicere — alioquin vero tantis in angustiis tacere — debuisse. Mehercule, non offendor. [11])

Taylorus denique, opinioni suae de oratione nostra e duplici exemplari conflata nimium forsan favens, singula verba aliquantum ursisse videtur. Nam tres potissimum locos [12]) in auxilium vocat, ubi legimus verba: 'Αλλ' οὐκ ἔστι ταῦτα, οὐκ ἔστι. Πόθεν; Πολλοῦ γε καὶ δεῖ. Sensum optime perfici censet, si scriptum esset aut πόθεν, aut πολλοῦ γε καὶ δεῖ. Sed legas singula, sequaris oratorem animo bene composito ingredientem, videas eum sensim sensimque incandescentem gressusque accelerantem. Num mireris, virum de republica optime meritum mercenario isti, qui faeces pravitatis suae ei offuderat, (§. 41.) manibus pedibusque obniti, et illum verbis, quae in promtu aderant, longe a se repellere?

11) Ἐγὼ δὲ τοσαύτην ὑπερβολὴν ποιοῦμαι, ὥστε, ἂν νῦν ἔχῃ τις δεῖξαί τι βέλτιον, ἢ ὅλως εἴ τι ἄλλο ἐνῆν, πλὴν ὧν ἐγὼ προειλόμην, ἀδικεῖν ὁμολογῶ. Εἰ γάρ ἐσθ', ὅτι τις νῦν ἑώρακεν, ὃ συνήνεγκεν ἂν τότε πραχθὲν, τοῦτ' ἐγώ φημι δεῖν ἐμὲ μὴ λαθεῖν.

12) Pg. 241. 242 et 274. Ed. Harl. c. 15. 16 et 46. Ed. Wunderl. §. 39. 42 et 114.

Aeque ubertati aut potius vehementiae cuidam [13]) oratoriae largienda sunt verba: *αὐτεπαγγέλτους, ἐθελοντάς*, quae Taylorus ut pro sua opinione pugnantia in adnotationibus ad pag. 229. (§. 10.) affert. Laudo oratorem, qui negat, cives suos libertatem Graeciae „*sponte sua ac voluntate*" prodere voluisse. Tales repetitiones singulorum verborum orationi magnam vim et magnum momentum afferunt, neque raro in Demosthenis orationibus occurrunt. [14])

Quae omnia scripsi non immemor, si pro suo quisque arbitrio veterum scriptis manum ingerat, quaeque in eis aut claudicare aut superflua esse videri possint, eis, sibi a vi non temperans, medeatur, permultos horum scriptorum locos neque spernendos mox nobis demtum iri. Quare nil aliud egi, quam ut locos in discrimen vocatos examini subjicerem, atque interpretatione, quantum fieri potuit, Demosthene dignos esse probarem. Num proposito exciderim, hujus rei integrum judicium ad eos remitto, quos antiquitatis bene peritos nostris studiis animum advertere haud pudet. Benevoli accipiant, quod pro virium modo et pro vitae meae conditione offerre licuit. —

13) Ita quidem judicat Dionys. Halic. de admir. vi in Dem. Vol. VI. pg. 1129. ed. Reisk.

14) Ex nostra oratione haec afferam: §. 48. *πράττειν καὶ ποιεῖν.* — §. 54. *ζώντων Ἀθηναίων καὶ ὄντων.* (germ. prov. lebten und webten) — §. 106 et 154. *βοῶν καὶ μαρτυρόμενος.* — §. 109. *οὐκ εἶξα οὐδ' ὑπεχώρησα.*

III.

COMMENTATIO

DE

MEDEA EURIPIDIS,

TRAGOEDIA CORRECTA ATQUE DENUO EDITA.

Cum et inter antiquiores [1]) non satis constiterit, cuinam fabula, quae nomine Medeae insignita Euripidi vulgo adscribitur, recte tribui possit, et a recentioribus [2]) saepius de hac re disputatum sit, haud indignum putavimus opera, quae de ea disputata sunt, hoc in opusculo complecti, et nostrum qualecunque judicium de his ferre. Haud ignorantes enim judicio de vero scripti cujusque auctore bene stabilito magnum redundare fructum in opus ipsum, nec non persuasi, nos in tali re tractanda et utilem et jucundum suscepisse laborem, hanc operam Medeae navare cupivimus, quippe quae non solum prima inter Euripidis fabulas habenda, sed etiam inter alia optima, quae aetatem tulerunt, monumenta nequaquam spernenda sit.

Veruntamen in tali argumento tractando duplicem viam ingrediamur necesse est. Nam primum in argumenta externa nobis inquirendum atque videndum est, num ex historia operis, e testimoniis aliorum de eo, e locis veterum collectis effici possit, opus aut genuinum esse, aut spurium; his demum expositis et firmatis, quae interna nominamus, quaeque

1) Diogenes Laert: vita Mened. II. 134.
2) Samuel Petitus Miscellan. VI. c. 15. — Barnes: vita Eurip. cap. 18. — Musgrave ad vers. 1383. — Boeckh Graecae trag. princ. cap. XIII. — Hieronymus Mueller: Medea, eine Tragödie aus dem Griechischen übersetzt. Erf. 1811.

ex oeconomia operis petita sunt, argumentis vis quaedam accedere potest. Quae quidem ita sunto.

Inter omnes narrationes mythicas, quas Graeci aut bene inventas, aut historico quodam fundamento superstructas nobis retulerunt, Argonautarum expeditionem et Medeae fata tristissima animum imprimis movere, nemo nescit. Cum res tam lugubris et miserationem tantopere ciens tragoediae componendae maxime apta sit, poëtarum ingenium tali argumento deesse noluit. Recte igitur suspiceris, et ante et post Euripidem, per totum, quo ars tragica florebat, temporis spatium, industriam complurium tragicorum huic rei tractandae impensam esse, et recte doleas tot et tam variarum ejusdem rei tractationum jacturam; nam re vera viri quidam docti [3]) nobis tredecim enumerant poëtas, qui fata Medeae dramate complexi sint. Sufficit nobis, apud Suidam [4]) nominari tragicum poëtam Euripidem, ex fratre nepotem nostri Euripidis, qui tria dramata, Orestem, Polyxenam et Medeam composuerit, et apud Diogenem Laertium [5]) mentionem fieri Neophronis Sicyonii, e cujus fabula tria adhuc fragmenta [6]) ad nostra pervenere tempora. Quae quanta ad nostrum propositum efficere possint, paullo inferius patebit.

3) Bluemner über die Medea des Euripides, Boeckh, p. 171 — 72.

4) Suidas s. v. Euripides sub finem.

5) Diog. Laert. vita Mened. II. 134.

6) Stobaeus, sermo XX. Schol. ad Medeam vers. 666 et 1389.

In dubium vocari nequit, quin Euripides Mnesarchi tragoediam composuerit, cui nomen Medeae erat. In Aristotelis libro de arte poëtica Medeam Euripidis nomine memoratam invenimus, XIV. 12 et XVIII. 12. ubi de pluribus nostri poëtae operibus loquens Medeae quoque mentionem facit. Ejusdem rei testes sunt Diog. Laert. loco jam supra laudato, Athenaeus ed. Schweigh. VII. p. 276. X. p. 453. et Schol. ad. Asistoph. ed. Invern. Ran. 1419. Thesmoph. 1236. Nub. 1386. Acharnens. 119.

Qui loci modo allati cum satis satisque probent, quod voluimus, Euripidem Mnesarchi composuisse fabulam quandam, Medeae nomine inscriptam, eam, quae nunc nomine ejus circumfertur, ab eo re vera originem ducere, probare conemur.

Quod si inveniuntur loci, Euripidi nostro adscripti et promiscue ex nostra fabula ab aliis scriptoribus fide dignis depromti, magnum ex his momentum accedit ad efficiendum, fabulam esse genuinam. Nec desunt talia pro Euripide pugnanti argumenta. Aristophanes enim, illorum temporum aequalis, qui hac in re omnino decipi non potuit, ubi Aeschylum et Euripidem in Orco sermonibus alternis de principatu decertantes inducit, inter singulos versus lance ponderatos etiam hunc primum Medeae versum profert. Ran. 1419.

Εἴθ' ὤφελ' Ἀργοῦς μὴ διαπτάσθαι σκάφος.

Aeque cum Scholiasta credamus necesse est, cum Aristophanes Euripidem frequentius irriserit, Thesmoph. 1146 respicere ad vers. Med. 300.

Σκαιοῖσι γάρ τοι καινὰ προσφέρων σοφά,
Nubium vero versum 1386
Ὦ καινῶν ἐπῶν κινητὰ καὶ μοχλευτά
illudere versui 1314 videre licet.

Jam alia accedunt. Ennium in vertendis Euripidis maxime tragoediis desudavisse, notum est ex Gellio [7]); scimus vero auctore Cicerone [8]), Ennium ad verbum Euripidis Medeam Latine reddidisse. Locum apposuisse juvabit. „His igitur est difficilius satisfacere, qui se Latina scripta dicunt contemnere. In quibus hoc primum est, in quo admirer, cur in gravissimis rebus non delectet eos patrius sermo, cum iidem fabellas Latinas, *ad verbum* [9]) *de Graecis expressas* non inviti legant. Quis enim tam inimicus paene nomini Romano est, qui *Ennii Medeam* aut Pacuvii Antiopam spernat aut rejiciat, qui se *iisdem Euripidis fabulis* delectari dicat?" —

Legimus quoque apud complures scriptores ex Medea Ennii multos versus, qui primo adspectu ad fontem, e quo emanarunt, ad Medeam Euripidis, qualis adhuc exstat, reducunt. Sed quae in talem versionem cadere debent, facile perpenduntur. Ob diversam enim verborum jungendorum rationem et consuetudinem, ut

7) Gell. noct. Att. II. 4.
8) Cicero de finib. I. 2.
9) Ne premamus sensum, *ad verbum* referre debemus ad generalem dramatis adornationem et dispositionem, ne Cicero sibi ipsi contradicere videatur alio loco: quaest. Acad. I 3. „Quid caussae est, cur poëtas Latinos Graecis literis eruditi legant, philosophos non legant? an quia delectat Ennius, Pacuvius, Accius, multi alii, qui *non verba*, sed *vim* Graecorum expresserunt poëtarum?"

ingenio cujusvis linguae adaptetur neve quid insoliti et duri retineat, versio paullo longius a verbis recedere debet; quod, si quis Ennio opprobrio daret, injuste ageret. Nam licentia, quam sibi Ennius et alii sumserunt, in eo posita erat, ut, quae in Graeco poëta habebantur, aut ex parte immutarent, aut novis coloribus adumbrarent, aut amplificarent. Habemus de hac re testem Ciceronem, qui non verba, sed vim Graecorum poëtarum, expressisse Ennium et alios tradit. [1]) Haud mirum igitur est, ut in quibusdam Medeae fragmentis Ennius mox fidi interpretis munere fungi, mox vero vel addendo, vel resecando longius evagari videatur, quare in nostris fragmentis quaedam habentur, quibus vel nulla verba Graeca, vel saltem pauca respondent, atque in quibus vix sententiae genuinae vestigia apparent. [2]) Omnia vero fragmenta ad

1) Cic. Acad. quaest. I. 3.

2) Quae varietates quamvis mire vexaverint doctos viros, non tamen necesse putamus, duplicem Medeae versionem per Ennium statuere; qui error a Manutio profectus, nostratibus quoque diu acceptus fuisse videtur. Primo quidem loco animadverterunt viri docti, plures occurrere in fragmentis Ennianis locos, in Euripide nusquam obvios, et inde suspicionem moverunt, duas ab Ennio scriptas esse Medeas. Si statueris, Euripidem duplicem Medeae editionem edidisse, ac Ennium aut primam secutum esse, aut ex ambabus fabulam suam composuisse, nil restat difficultatis; nam quae in nostra non inveniuntur Medea Euripidis, in prima editione locum tenere potuisse bonum, sensu et verborum connexu aliter ibi constituto, non negabis. Porro multi loci, qui quidem Ennio dantur, neque vero in Euripidis Medea inveniuntur, pro lubitu a viris doctis ei suppositi sunt; hi enim saepius

verbum hic apponere, ut comparatione instituta cum Medea Euripidis nostram sententiam adjuvent, superfluum esse videtur. Conferas de eis Planckium in fragmentis Medeae Ennianae. Goett. 1807. Loci, qui nos adjuvant, fere hi sunt: Rhet. ad Heren. II. 22 et Cic. de Fato c. 15. cum Medea 1—9. — Nonius s. v. eliminor. c. M. 48—49. — Cic. Tusc. Quaest. III. 26. c. M. 56—57. — Non. s. v. aucupo. c. M. 131. Cic. Epist. VII. 6. c. M. 216—220. — Nonius s. v. cernere c. M. 257—58. — Cicero p. Rabir. II. c. M. 321—22. — Cic. p. Rab. et ad Attic. VII. 26. c. M. 352—54. — Cic. de Orat. III. 58. c. M. 502—505. — Cic. Tusc. Quaest. IV. 32. c. M. 530—31. — Cic. Orat. 46. c. M. 804. —

aut tacito auctoris et operis, e quo verba depromta sunt, nomine, aut Medeae nomine generaliter tantum apposito, haec ad Ennii Medeam referre non dubitarunt, cum eodem jure aut Attio aut alii cuivis poëtae tribui possint. Quod vero attinet ad varietates versionis Ennianae, neutiquam tantae sunt, ut ex licentia illa, quam sibi sumserunt poëtae latini in vertendo, explicari nequeant, neque verbis Graecis bene comparari possint. Plurima insuper fragmenta corruptissima sunt, ut ne accurate quidem cum Medea Euripidis comparari possint. E duplici vero Medeae titulo, cum nunc Medea simpliciter sic dicta, nunc Medea Exsul nominetur, nil profecto probari, nisi negligentiam scriptorum in laudandis libris, apparet; nam omnia clara sunt, si ponamus, titulum libri fuisse Medeae Exsulis, eandemque fabulam modo simpliciter paullo negligentius appellari Medeam, modo cognomen Exsuli apponi, cum de fuga ejus ex Thessalia fabulae totius enarratio repetenda sit, seu quia in nostra fabula Corintho Athenas fugiens fingatur. — Cum Planckio duplicem Medeae Euripidis editionem negare non ausi sumus. —

Non. s. v. cette c. M. 1067. — Probus ad Virg. Eclog. VI. 31. c. M. 1246—1250. — Non. s. v. sublimare.

Quorum fragmentorum licet quaedam Ennio a Cicerone utique non disertis verbis adscribantur, cum ille saepius Medeam secundum Ennii versionem laudet, et ipsa verba Graecis maxime quadrent, haec ei tribuere non dubitavimus. Res igitur absoluta videtur, Medeam Euripidis nostrae certe simillimam fuisse.

Sunt tamen, quae his contradici possint. Quae cum omnia a Muellero [3]), viro acutissimo et doctissimo, maxime exposita atque defensa sint, huic potissimum adversari opus erit.

Laudat Mueller p. 105. locum Athenaei VII. p. 276. ed. Casauboni, ubi Medea secundum Calliaê exemplum metro trochaïco concepta dicatur, et inde concludere voluit, cum in nostra Medea tantummodo senarii inveniantur, trochaicis versibus praeter nonnullos dimetros in melicis penitus ex ea remotis, eam esse spuriam nec ab Euripide profectam. Verba Athenaei haec sunt: Καὶ γὰρ Καλλίαν ἱστορεῖ τὸν Ἀθηναῖον γραμματικὴν συνθεῖναι τραγῳδίαν, ἀφ' ἧς ποιῆσαι τὰ μέλη καὶ τὴν διάθεσιν Εὐριπίδην ἐν Μηδείᾳ καὶ Σοφοκλέα τὸν Οἰδίπουν. — Ubinam hic mentio fit metri trochaici et apud Calliam et apud Euripidem? Quidnam aliud legimus, quam a grammatica tragoedia Calliae Euripidem carmina melica (μέλη, cantus) et personarum descriptionem in choris (διάθεσιν) sumsisse, ita ut, cum chorus primaria pars tragoediae haberetur, alio loco [4]) Athenaeus τὴν Μήδειαν πᾶσαν

3) Hieron. Mueller, Medea. Erf. 1811.

4) Athen. X. 453.

composuisse Euripidem ad exemplum Calliae dicere posset. Siquidem Athenaeo fidem habere volumus, nos doceat illust. HERMANNUS [5]), quomodo Calliae grammatica tragoedia disposita fuerit. In grammatica tragoedia Calliae XXIV mulieres, h. e. litterae, chorum agebant; Alpha chori magistra erat; singulae consonantes singulas strophas deinceps canebant accinentibus vocalibus. Strophae probabiliter secundum numerum consonantium XVII erant, quaevis continebat VII versus. Primam stropham, exemp. grat., totam canebat Beta, secundam Gamma et sic porro. In quovis versu accinebat vocalis una, in primo Alpha, in secundo Epsilon et sic porro. — Tali modo in Medea chorus dispositus dicitur; quam imitationem si aperire non possumus, cum tempora a nostris tantopere distent, nemo nobis hoc opprobrio det. Veruntamen hypothesin BOECKHII [6]) de loco quodam nostrae Medeae apponere liceat: „Fingas tibi" dicit, XII chorentas; unus canet monostrophica omnia a vers. 131. usque ad vers. 215, succinent per vices, qui supersunt, omnia. Disposuit ita vir doctiss. v. 131—215 et 1270—1290. — Sed ne probabilitatis quidem speciem prae se ferre Muelleri opinionem, Euripidem trochaico potissimum metro usum esse in Medea, nemo historiae literariae gnarus ignorat. ARISTOTELES [7]) enim, historiam tragoediae ejusque progressuum tractans, nobis auctor est, antiquissimos modo tragicos, Thespin et Phrynichum,

5) BOECKH Graecae trag. princ. cp. VII. p. 86.
6) BOECKH cp. VII. p. 89 — 90.
7) ARISTOTELIS poët. IV. 18. SUIDAS s. v. Φρύνιχος.

trochaicum tetrametrum sine ulla Jamborum interpositione in fabulis adhibuisse. Et nos credere volumus, Euripidem metrum revocasse, quod per antecessores, Aeschylum et Sophoclem, repudiatum, per longum temporis spatium inveteratum et populo Atheniensi, qui hos ambos pie colebat, minime acceptum, oblivioni paene traditum fuerat? Multum sane abfuit, ut id revocaverit, ut potius hoc metrum, suo tempore in tragoedia inusitatum rejecerit, ne populi assensu et gratia excideret.

Tunc secundo loco Mueller in auxilium vocat Hesychium, qui sub voce ἀπαιώνιστος nos docet, se verba Κόρινθον ἀπαιώνιστον invenisse in Medea Euripidis. Ex his verbis, quae in nostra fabula non reperiuntur, suspicionem contra eam movendam esse, si Muellero largiremur, injuste ageremus. Nam omni fide Scholiastis, Lexicographis omnibusque veterum temporum scriptoribus habita, qui in scribendo saepius ob magnam librorum conferendorum penuriam memoriae fallaci nimis confisi sunt, ita ut nunc, via ad libros consulendos patefacta, apud plurimos errores ante oculos positos et memoriae parum fidae neque omnium tenacis fallacias apertas videamus, tamen unice ex his effici posse videtur, Medeam nostram per temporis decursum mutatam et sive ab auctore ipso, sive ab alio retractatam esse. Scriptores veterum temporum utramque in manibus habere solebant editionem; pluries nobis quoque seu prior seu posterior servata est, ex deperdita tamen haud raro singula ad nos devenerunt fragmenta.[8]) Imo,

8) Boeckh. Gr. trag. princ. p. 20.

ut sibi constet, Nubes Aristophani abjudicet, quarum ex editione prima duo adhuc exstant fragmenta [9]), quae in nostris non inveniuntur, quaeque, cum Aristophanes in parabasi v. 524 — 25. ipse profiteatur, sese superatum studiose in illo opere retractando laborasse, ab ipso in Nubibus denuo editis ut minus apta ejecta esse debent. Et quis Plauti comoedias spurias dicat, cum ex eis loci citentur [1]), quos in nostris codicibus vix invenies?

Eadem vituperatio cadit in argumenta subsequentia; singulatim tamen ea recensere placet.

Exstant apud Stobaeum tit. LXXVI. περὶ νηπίων et apud Clementem Alexand. p. 106. ed. Par. duo Medeae versus, qui in nostra fabula nusquam comparent:

— — Τὸ θρέψαι δ᾽ ἐν βροτοῖσι πολλάκις
Πλείω πορίζει φίλτρα τοῦ φῦσαι τέκνα.

Quantum hi versus efficere possint pro Muellero, nisi Stobaeum et una Clementem, ut alias, sic et hic errasse statuamus, ex eis, quae jam antea disputavimus, in aprico positum est; sed si dubitemus cum Muellero et aliis de loco, quem in nostra Medea teneant, ni apte interponantur v. c. post vers. 670, ut Medea Aegeum de orbitate consoletur, seu post versum 896, ut Medea secum loquatur, seu post v. 1020 et aliis locis, in prima tamen editione aptum habere potuisse locum opinari licet. Chorus quoque inde a versu 1090 ap. Beck. haud dissimilia loquitur.

9) Diog. Laert. II. 18. Suidas s. v. πήνιον.

1) Plautus ed. Schmieder p. 886 — 88.

Porro verba:

ὦ θερμόβουλον σπλάγχνον ἐξευρημένα

in Medea lecta Scholiastae ad Acharn. 119 haec derideri narranti verbis Aristophanis [2]) ὦ θερμόβουλον πρωκτὸν ἐξευρημένα, ducunt eo quo tendimus.

Neque majoris momenti est, quod quintum apponit Mueller argumentum. Cicero Epist. VII. 6. versus 216—17. ex versione Enniana ita reddidit:

Quae Corinthi arcem altam habetis matronae opulentae, optimatis.

— — — — — — — — — — —

Nam multi suam rem bene gessere et publicam patria procul,

Multi, qui domi aetatem agerent, propterea sunt improbati.

Lubenter largiri volumus, Ciceronem locum aliter interpretatum esse, quam nos, dum scribat: „Medeam manibus gypsatissimis persuasisse matronis, ne sibi vitio verterent, quod abesset a patria", cum secundum nostram interpretationem, ne vituperaretur a matronis, intus sedens lugensque, et ignavia quodammodo terens tempus, neque communicando cum ipsis leniens dolorem, foras progressa se defendat. Concedas, si vis, Muellero, secundum Ciceronis versionem seu verba ibi alio modo juncta fuisse, seu ponas potius, male Ciceronem interpretatum esse, quod, cum Cicero nostrum poëtam magno amore amplecteretur et avidissime legeret, vix fieri potuisse Mueller censet. Sed si verum est, quod pervulgatur dictum, errare humanum esse, haud videmus, cur Cicero aut bonus Ennius, aliter

2) Ach. 119.

locum intelligentes, quam nos, aeque atque alii homines errare non potuerint, cum alios locos Graecorum, significatione verborum male intellecta, Latini male verterent. [3]) Cur recusemus denique Ennio licentiam, qua alias saepe numero usus est? Alia tamen lectio aliaque verborum conjunctio in eo, quo Ennius sive Cicero usi sunt, codice quam in nostris, exstiterit, nil ex his efficere poteris, quam nostram fabulam mutatam esse, et viros doctos primam et secundam editionem in manibus habuisse.

Quod vero attinet ad versum, quem Cicero ex Medea depromtum Latinis citat Ep. VII. 6. et de Offic. III. 15. et idem vir Ep. XIII. 15. aeque ac Plut. vit. Alex. 53. fontis, ex quo haustus sit, mentione non facta, Graecis verbis laudant:

Μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφὸς,

in Ciceronem cum Heathio memoria deceptum credere velimus, cui vitio pluries obnoxius est, absentia hujus versus ex nostra Medea Muelleri opinionem nil defendere potest, et nos ad idem recurrere oportet, quod antea statuimus.

Gravior est, quem sextum attulit locum vir doctus, ex Diogene Laërt. vit. Mened. II. 134., ubi scribit, eos veritatis parum studiosos esse, qui dicant, eum nihil aliud legisse, nisi Medeam Euripidis, *quae inter poëmata Neophronis Sicyonii esse dicatur.* Res sane gravissima. Nam videmus ex hoc loco, jam

3) Omnis error inde profectus esse videtur, quod Ennius δόμων de domo paterna, de patria intelligeret.

antiquioribus temporibus dubiam de auctore Medeae fuisse opinionem; bene vero reputantes, quanta his famae narrationibus, quas seriorum temporum scriptores retulerunt, fides habenda sit, neque ignorantes, nos via ad fontes propatula et satis munita, veterum errores corrigere, quaeque falsa scripserint, melius stabilire posse, talem famam a Diogene, sex saecula Euripide serius vivente, traditam parvi admodum momenti esse fateamur necesse est. Cum vero hic locus mox iterata cura tractandus sit, eum leviter tantummodo hic attrectatum esse, venia detur; nam tragoediam Neophronis nil nisi Medeam nostri Euripidis retractatam, ab ea tamen diversam fuisse ex sequentibus patebit.

Septimum Muelleri argumentum hoc fere est. Cum in Medea reperiantur plus quam centum verba, nullibi alias apud Euripidem occurrentia, neque desint constructiones rariores et insolentiores, ex his conclusionem valere Mueller vult, ipsam Euripidi tribui non posse. Ille quidem vir fatetur, in quavis Euripidis tragoedia reperiri verba multa, quae in nulla alia occurrant. Hoc ex abundantia vocabulorum apud Graecos, et ex vario verborum componendorum modo facile percipi potest. Nam non modo ex aliis nostri auctoris fabulis, sed etiam ex quovis alio libro, vocabulorum copiam semel occurrentium haud minorem colligere potes. Neque obliviscamur, quavis aetate, cum juventus a senectute valde distet, scribendi modum etiam prorsus diversum esse, ardentiorem et insolentiorem apud

juvenem, graviorem et castigatiorem aetate virili. [4])

Quae omnia argumenta, Euripidem Mnesarchi oppugnantia, cum non satis firma esse videantur, genuinam Euripidis fabulam nostrae certe simillimam fuisse, sententia nobis stat. Ut vero recte pro Euripide pugnemus, quae in eum conferri solent, et virtutes et vitia, neutiquam in Medea desiderari efficiendum erit.

Notum est, in prologo Euripidem rem tractandam fere disertius, quam e re est, exponere. Quod cum in nostram Medeam non cadat vituperium, adversarii Euripidis argumentum inde depromere voluerunt, Medeam esse spuriam. Sed nullo profecto jure. Nam quivis eundem morem obstinatus retineat, et viam, quam ingressus est, servi instar sequa-

4) Nos non fugit, quod ex verbis et phrasibus petitur, argumentum esse vanum, nisi verba haec tunc temporis prorsus inusitata fuisse nobis probetur, aut loquendi genus auctori insolitum fuisse demonstretur. Quare, ne rem nostram admodum perfunctorie egisse videamur, ingratam sane operam indicem Barnesianum percurrendi suscepimus. Infitiari non possumus, numerum verborum semel occurrentium a Muellero recte constitutum esse; veruntamen mihi credas, verba quoque notissima Muellerum in auxilium vocavisse. Cum vero doctus vir ne ullum quidem verbum, quod insolentius habeat, attulerit, quaedam verba, quae insolentiora esse videbantur, apposuisse juvabit: αἰσυμνᾷν 19. — μεγαλόσπλαγχνος 109. — ἀποταυροῦσθαι 183. — στόμαργος 525. — μετεύχεσθαι 600. — ὀξύφρων 642. — παρεμπολᾶν 906. — ἀπόμουσος 1085. (Aeschyl.) — ἀντίμολπος 1176. — ἀναμοχλεύειν 1314. — ξειναπάτης et ψεύδαρχος 1389. — Haec quoque verba auctoritate unius alteriusve scriptoris defendi posse in aprico positum est.

tur, nec qua melior patet pro lubitu ab ea recedat postulare non possumus. Porro rem notiorem, omnibusque, aeque ac Trojanum bellum, cum haec Graecorum animos maxime delectarent facta, pueris jam traditam, et tot cantibus celebratam fusius in prologo tractare Euripidis non erat, qui res aut minus cognitas aut in quibus a narratione pervulgata recedat, ut spectatoribus succurrat, alias in prologo disertius enarrare solet. Inter omnes quidem Euripidis tragoedias superstites, cum et Rhesum spurium et Iphigeniam Aulidensem dupliciter editam credamus, Medea unica hoc modo disposita est; quae vero in tot deperditis prologi fuerit dispositio quis dijudicet? Neque deest persona proloquens, sed non est ista, quae aut ab inferis, aut a superis arcessita rapit in medias res, est nutrix, quae argumentum leviter modo attingit, quaeque memoratu digna erant, ut spectatorum in animos haec revocet, simplicissime exponit.

Euripidem porro in choris componendis eisque argumento adaptandis et intexendis negligentiorem esse, res est satis nota, neque a nobis loco alieno ulterius persequenda. Cum tragoedia ex cantibus Bachicis orta Chorum primariam haberet partem, ab Aristotele 5) non dissentimus, eum συναγωνίζεσθαι et rem agendam nisi manibus, dictis tamen, sive adjuvare, sive impedire debere. Quare mirum esse videtur, Euripidem hanc regulam ubique negligentem in nostra Medea de via solita deflexisse et Chorum arctius actioni conjunxisse. Ne vero ob id ipsum contra eum pugnetur,

5) Poët. 18. 21.

Chori dispositionem per totam fabulam persequi et qualem se gerat videre frugi erit, ut naturam suam et in nostra fabula non prorsus exuisse Euripidem perspectum habeamus. — Lamentis Medeae auditis feminae Corinthiae accurrunt, et nutrici auctores sunt, ut dominam in colloquium evocet. v. 215. Quae foras progressa Choro mentem consiliis illatam sibi injuriam ulciscendi intentam cum ostendisset, ab eo postulat, ut audita reticeat. Cui promisso, cum ancillae essent, quibus familiariter utebatur [6]) feminaeque ob sexum communem communi quasi vinculo conjunctae sese adjuvent et injuriam ipsis illatam invicem ulciscantur, Chorum stare mirum videri non potest; sed per totam tragoediam in impediendis consiliis Medeae hunc socordiam quandam tenere, in hoc maxime admiramur, naturamque Euripidis recurrentem melioribusque reluctantem videmus. — Iteratas Medeae lamentationes et subtilem vindictae deliberationem excipit Chori canticum, quo rerum Medeae, quae necem se moliri jam professa erat, ratione non habita Chorus in perfidiam virorum invectus feminas nunc gloriam adepturas esse gaudet, et de infortunio Medeae omni ope destitutae et a marito perfido repudiatae conqueritur, quamvis feminas, consiliorum jam conscias, ab initio haec reprimentes et meliora suadentes, neque sermonibus haud satis aptis ignem veluti concitantes videre maluisses. v. 449. — Nihilominus post altercationem mutuam Jasoni regresso, Medeae res iterum parum curans, Chorus nimii amoris vim et exilii acerbitatem

6) Med. V. 816. 947.

deprecatur v. 663. — et cum Medea, certum nacta praesidium, consilia saevissima Choro aperire non dubitasset, nunc demum Chorus dissuadet consilia, quae jam antea perspicere potuisset, et nimis diu in laude Athenarum haerens flebili carmine eum a caede *filiorum* avocare studet, caedis Creusae et Creontis nulla mentione facta v. 861. Neque vero, quominus pueruli, dona pestifera ferentes, intro abeant, impedit verbis, sed, quae eventura sint, praedicit, et Jasonem perfidum detestatur v. 997. Matre vero ad caedem filiorum se accingente et intro abeunte, Chorus implorat Solem et Terram, ut scelus arceant — 1277. cumque, eo nimis diu haesitante, caedes perpetrata esset, matrem crudelem detestatur — 1300. Qua Chori dispositione apparere videtur, Chorum, licet magis, quam in aliis fabulis, rem promoveat, in impedienda filiorum et Creusae caede ab omni negligentiae crimine haud vacare, et Euripidem, meliorem quidem ingressum, viam solitam saepius tamen repetiisse.

Euripidem male disponere fabulas, jam a veteribus relatum legimus [7]) et omnes fere tragoedias hoc depravari vitio legenti perspicere licet. Sed quamvis Medea vix hoc vitio laboret, ejusque oeconomia simplicior et magis perspicua nobis appareat, et in hac re mirum quoque videri possit, Euripidem morem suum parum tenuisse, non deesse tamen loco credimus, ex quibus probari possit, Euripidem et in nostro dramate sibi non prorsus dissimilem fuisse. Nam cum in rebus, quae ante oculos aguntur, veritatis quaedam species, qua in

7) Arist. Poet. 13.

dramate animus ita decipitur, ut rebus agendis praesentes quodammodo esse videamur, potissimum requiratur, poëtam has probabilitatis leges violantem vitium committere in componenda fabula negari nequit. Quod vituperium cadit in istam scenam, qua Athenarum rex Aegeus, cum Medea refugium anxia circumspiceret, Delphis veniens, Pittheum regem de oraculo consulturus, subito èt inópinate, Dei ex machina instar, adest, quod episodion, licet sit brevissime insertum et ad eventum fabulae necessarium, ne Medea temeraria esse nobis videatur, male tamen nos afficit. [8]) Nam nullum fugiet, ne temporis quidem rationem habitam esse, cum Theseus, Aegei et Aethrae Pitthei filius, eodem fere tempore jam adultus Athenas veniret, quo Medea, ab Aegeo bene accepta, ibi exsularet. Quare, ut sibi consuleret, poëta verisimilitudinis leges laedere, et sedecim annorum spatium in unum commiscere momentum nil timuit. Cf. vs. 664 — 740 ap. Beck. — Ita quoque Jasonem nobis fingit nimis credulum, ubi iterum evocatus blandis verbis facillime sibi persuaderi patitur, ut filiis parcere velit; nam quis hoc ferat post altercationem istam acerrimam, qua Medea quodammodo furibunda perniciem ei minitabatur et diras ipsi imprecabatur poenas? Cf. v. 865 — 975.

Neque silentio praetermittendum esse putamus, cum alias in ciendo miserationis sensu

8) Neophron, imitans Euripidem, ita nobis sistit Aegeum, ut Medeam oraculi interpretationem roget, ne adventum repentinum regis non excusatum habeat. Sed anachronismus et hunc deformat locum. Schol. ad Med. 666.

Euripides artis tragicae summam posuerit, atque huic studio omnia post habuerit, nostrae sententiae momentum inde accedere, quod et in nostro opere hac in re conspicuus fuerit. Inter omnes enim, quae exstant, tragoedias in nostra huic studio plurimum indulsit. Ob oculos versatur Medea, ut perjurum maritum poenis dirissimis afficiant, deos obsecrans, nec ut ei gravissimum infligat vulnus, a caede filiorum abhorrens. Quem exemp. grat. non moveat locus, quo affectibus inter se discrepantibus, amore erga infantes et odio in Jasonem perfusa, num eos interficiat, an servatos Corintho abducat, misera haesitat mater? — 890 seq. — Quem non horrore percellat narratio de morte Glauces et Creontis? — 1135 seq. — Nostrum non est, haec ulterius persequi, quae in legendo oculis sese objiciunt; recte vero inde concludi posse credimus, in hac quoque re τραγικώτατον poëtarum sibi constitisse.

Porro fabulam perlustrantem non latebit, scenicum philosophum, ut alias, sic et hic, si verbis Quintiliani uti licet [9]), sententiis esse densum et oratorio generi addictum, atque hac in re cum personas singulas nimis loquaces et sophistarum instar sententias vitaeque regulas, et loco haud idoneas, et nimis longas, et personis haud satis convenientes, nobis sistat jactantes, saepius peccare. Pauca hic apponere loca, quae nobis videbantur iniquiora, eaque recensere, ut Euripidem eundem esse cognoscamus, frugi erit. Sic a conditione nutricis alienum esse putamus, sententias tam acutas et tam bene excogitatas effari, quales

9) Inst. Orat. X. 1.

sunt v. 120 sq. 194, ni fastidiosa longitudo earum et mora rei agendae inde effecta nos insuper moveret. — Haud ignoramus, Medeam misera feminarum conditione adumbranda Chori animum movere et sibi conciliare voluisse, sed philosophandi studio Euripidem ita indulsisse, ut Medea infelicissima, quae paullo ante miseriarum finem, mortem, sibi exoptasset, sedata et proprii infortunii nunc paene immemor esse nobis videatur, hoc tamen inique ferimus. 218 sq. Alia ejusmodi passim reperias. —

Minoris momenti res omittimus; nam satis probasse nobis videmur, in nostra quoque fabula, etiamsi saepius eum neglexerit, morem tamen veterem tenuisse Euripidem.

Quae vero ex eis, quae in antecedentibus disputata sunt, efficiuntur, haec fere sunt. Negari nequit, cum plures versus a veteribus laudati in nostra quoque Medea inveniantur, ejusque oeconomia et expositio reliquis fabulis Euripideis haud dissimilis sit, nostram Medeam re vera genuinam esse posse. Cum vero reperiantur loci, in nostro exemplari nusquam obvii, suspicio nobis injicitur, nostram Medeam primitiva forma servatam non esse, sed drama esse sive ab Euripide sive ab alio retractatum et correctum.

Restat, ut novae editionis vestigia indagemus et quem auctorem habeat eruamus.

Scimus, Euripidem ab Aristophane derisum saepius ob hanc ipsam rem verba sua immutasse. Hujus immutationis vestigia quaedam in nostra Medea sagacissime indagavit Porsonus.

Versus 300 enim ita legitur in nostra editione:

Σκαιοῖσι μὲν γὰρ προσφέρων ἔπη

in Thesmoph. Aristoph. vero vers. 1136.

Σκαιοῖσι γάρ τοι καινὰ προσφέρων σοφά

Pors. hanc lectionis diversitatem ex secundis curis poëtae profectam esse credit; nam cum Euripides esset εὐεπίφορος εἰς τὸ σοφόν, his verbis irridens Aristophanes eum permovit, ut σοφά in ἔπη mutaret.

Non improbabiliter ostendit idem vir, lectionem primariam v. 1314 fuisse:

Τί τούσδε κινεῖς κἀναμοχλεύεις λόγους,

ubi nunc habetur:

Τί τάσδε κινεῖς κἀναμοχλεύεις πύλας;

nam Aristoph. metaphoram duriorem in scenam traducens, ut Euripidem insectetur, ita Phidippidem in Nub. 1386 a Choro appellatum nobis sistit:

Ὦ καινῶν ἐπῶν κινητὰ καὶ μοχλευτά,

et Euripides duram phrasin scribendo πύλας postea emollire voluit.

In his jam comparent secundae editionis vestigia; sed graviora accedunt. Est locus apud Scholiastam Medeae ad v. 9., ubi narratur, famam, quam et Parmeniscus tradat, circumferri, Euripidem a Corinthiis quinque talentis corruptum esse, ut liberorum caedem ab ipsis perperam perpetratam in matrem transferret. Eadem narrat Aelianus V. 21, mercedis tamen mentione non facta. — Hoc Corinthii non nisi in secunda editione facere potuerunt, cum ante primam Medeam consilium poëtae et dramatis adornatio ipsis innotescere non posset, ni quis credere velit, Euripidem a Corinthiis excitatum Medeam suam scripsisse.

Non habemus, cur veritatem harum famae narrationum cum Barnesio [1]) rejiciamus. Quamvis enim non dissentire velimus ab eo et a Millino [2]), jam ante Euripidem Medeam filios trucidantem inductam esse, tamen adsunt argumenta, quae nos cogunt, ut finem tragoediae immutatum esse credamus. Nam Aristoteles [3]), de catastrophis tragoediarum agens, ita loquitur: Φανερὸν οὖν, ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν, καὶ μὴ, ὥσπερ ἐν τῇ Μηδείᾳ, ἀπὸ μηχανῆς. Medeam, cujus in his verbis mentio fit, re vera Euripideam esse, inde apparet, quod et pluribus locis eam commemorat, et in antecedentibus Iphigeniae Aulidensis Euripideae mentionem facit. Quid vero hoc vituperium Aristotelis, Medeae exitum non sine machina adductum esse, sibi velit, ex aliis verbis ejusdem auctoris, paullo post subsequentibus, apparebit, nam machinae usum ita nobis ipse Aristoteles describit: Ἀλλὰ μηχανῇ χρηστέον ἐπὶ τὰ ἔξω τοῦ δράματος, ἢ ὅσα πρότερον γέγονεν, ἃ οὐχ οἷόν τε ἄνθρωπον εἰδέναι, ἢ ὅσα ὕστερον, ἃ δεῖται προαγορεύσεως καὶ ἀγγελίας· ἅπαντα γὰρ ἀποδίδομεν τοῖς θεοῖς ὁρᾶν. — Ex his verbis facillime intelligitur, machinae usum in nostra Medea vituperari non potuisse; nam licet currus, quo Medea vecta Athenas aufugit, machinis adducendus esset, Medeae personam tamen prope spectat et ἐξ αὐτοῦ τοῦ μύθου συμβαίνει, neque ἔξω τοῦ δράματος est. Quare verisimile est, in prima editione numen quoddam ad finem in scenam

1) Vit. Eurip. c. XVII.

2) Description des tombeaux de Canosa p. 37. Paris. 1816.

3) Poët. XVIII. 12.

adductum nodi vindicem fuisse, et hanc fabulae adornationem postea immutatam esse.

Hujus immutationis, negligentius institutae, comparent adhuc indicia quaedam. Vers. 1378 sq. legitur:

⏑ – ⏑ –, ⏑ Γῇ δὲ τῇδε Σισύφου
Σεμνὴν ἑορτὴν καὶ τέλη προσάψομεν
Τὸ λοιπὸν ἀντὶ τοῦδε δυσσεβοῦς φόνου.

Medea nullibi tam potens nobis describitur, ut leges et instituta in posterum sancire potuerit; qui vero potuit jubere, ut Corinthii ad expiandam caedem filiorum, quam ipsa patraverat et cujus Corinthii insontes erant, sacra instituerent; qui potuit factum, quod ipsa commiserat, tam foedo nomine (δυσσεβοῦς φόνου) denominare? Haec omnia nos permovent, ut credamus, verba haec, quae nunc a Medea haud apte dicuntur, ex priore editione incuria editoris relicta esse et ibi aliter constituta fuisse.

Acutissime Mueller versus quoque subsequentes ex priore editione relictos judicavit v. 1383 sq.

Σὺ δ᾽, ὥσπερ εἰκὸς, κατθανεῖ κακὸς κακῶς,
Ἀργοῦς κάρα σὸν λειψάνῳ πεπληγμένος.

Nam Medea venefica quidem; neque vero futurorum praescia fuisse perhibetur. 4)

Si vero numen, quod sub finem ex machina apparuerit, et hos versus in priore editione pronuntiaverit, quaerimus, verisimillimum esse videtur, Iunonem in scenam adductam esse, quae perfidia Iasonis offensa conjugii custos et ob filiorum caedem in suo per-

4) Boettiger de Medea cum monum. prisc. artis compar. Prol. I. p. VIII.

a 1055, secundum v. 666., tertium denique vers. 1387., fateberis, Neophronis fabulam nil aliud fuisse, quam Euripidis tragoediam denuo exornatam, et a capite ad calcem usque haud leviter interpolatam, a nostra vero diversam. Qua ambarum tragoediarum mutua similitudine Diog. Laërt. cum aliis deceptus in hunc errorem incidisse, et ambas confudisse videtur. Non stamus igitur a partibus eorum, qui nostram fabulam Neophroni dare velint.

Iam Mueller certamen moderaturus, cum fabula nostra nunc re vera Euripidi, nunc Neophroni et a recentioribus et a veteribus adscribatur, studiosissime nobis persuadere vult: Medeam nostram ex nova Neophronis editione ortam esse, immixtis tamen nonnullis Euripideae fabulae locis. Argumenta, quibus pro sua opinione pugnat, haec fere sunt:

1. Si statuere velimus, nostram Medeam ex Euripidea et Neophronica compactam esse, omnia illa verba, in nostra Medea nusquam obvia, locum habuerunt in genuina Euripidis tragoedia, et a novo editore, qui ex duabus unam tragoediam composuit, rejecta sunt. — Refugium, quaeso, tam longinquum ne circumspicias. Nam omnes difficultates, quas absentia nonnullorum verborum et versuum movere possit, jam inde evanescunt, si ponas, Euripidem ipsum tragoediae suae emendatorem fuisse. Qui vero, si Muellero assentiamur, fieri potest, ut in tragoedia ex duabus compacta omnia tam bene cohaereant, quam in nostra exemplari? — Hunc vero connexum Mueller negare videtur; quare audiamus, quae porro proferat.

2. Si nostram Medeam, — ita enim argumentari pergit — ex duabus fabulis compositam, neque satis bene compactam credere velimus, multi loci, nunc in ea difficillime explicandi, seriori editori dandi sunt, quippe qui in tali opere, ex duobus confecto, singulos versus et ex hoc, et ex illo desumtos non satis scite junxerit. Haec brevibus recensere, ut videamus, num istae difficultates resolvi possint, frugi erit.

In hunc numerum refert v. 86., quem, cum sensum turbet, Mueller spurium habet et rejicit, a Brunckio scilicet seductus. Nos vero, Porsonum auctorem sequentes, ut sententiam prioris versus molliat, haec verba inseruisse Euripidem, credimus; nam quis diu in interpretando hoc versu dubius haereat sensu ita constituto: cum hosce ob matrimonium (quod commoda ipsi praebet, feminam pulchram, potentiam, imperium) repudiet pater filios, facile intelligis, omnes, quam proximum, semetipsos magis amare, alios quidem jure (probi scilicet hi atque honesti viri), alios vero quaestus caussa (mali quidem hi, qualis Jason, qui ob commoda matrimonii deserit eos). Ubinam difficultates tantae, quae nos cogant, ut nostram Medeam ex duplici fabula male compactam credamus?

Similiter versuum 216 — 26. difficultates in novum editorem Medeae confert. Locum sane difficilem et intricatum, quem jam supra attigimus, interpretatione adjuvare conabimur. Medea, ut Choro morem gerat, foras se progressam esse profitetur, ne male de ipsa judicetur; bene enim sese scire, alios quidem et in patria et apud exteras nationes gloriam

adeptos esse (quod in alio rerum statu ipsi quoque contingere potuerit); alios vero ob ignaviam et socordiam malam sibi conciliasse famam; cum vero ipsa ignavia terat tempus intus sedens lugensque, ne vituperaretur pertimuisse, nam aequitatem non inesse hominibus, quippe qui, priusquam animum et ingenium hominis cognoverint, eum oderint. Quare, ne quid mali de ipsa sentiant, decere, ut ipsa, sicut quivis alius peregrinus, Choro se accommodet et cum ipso communicet dolorem. 7) —

Deinde Mueller suspicatus est, lacunam inesse verbis Chori post vers. 270, ubi advenientem Creontem Chorus Medeae ostendit, eumque καινῶν ἄγγελον βουλευμάτων appellat; nam probabile esse Mueller censet, Chorum de consiliis Creontis, Medeam Corintho expulsuri, eam in antecedentibus certiorem fecisse. Sed locum inspiciens, talem errorem viri docti animo irrepere potuisse miraberis; nam Chorus, Jasonem poena dignum judicans, silentio se retenturum

7) Singula addere placet. Duo distinguuntur hominum genera, cum honorati, tum despecti. Emendationem Brunckii et Porsoni praeferentes ὀμμάτων ἄπο, cum haec verba opposita sint verb. ἐν θυραίοις, haec exteras nationes, illa patriam respicere nobis videbantur; nam Medea negari non vult, sese, quamvis peregrinam, rebus aliter constitutis, ut quemvis alium hominem, gloriam adipisci potuisse. — In prima orationis parte quibusnam de caussis gloriam adepti sint, poëta non apposuit; in altera vero inter ceteras dedecoris caussas desidiam affert, ut Medea, cum haec lugenti maxime opprobrio dari posset, sese contra hoc crimen defendat. Quae omnia interpretationem hanc adjuvare videntur.

audita promittit, et Creontem advenientem Medeae ostendens novorum (inauditorum, pestiferorum) consiliorum nuntium nominat. Quae verba ad anteriora respicere non possunt, nam ne uno quidem verbo hoc significatum habemus; Chorum vero haec dicere non miramur, cum ipse haec consilia Creontis, quae Corinthi perquam nota erant (v. 65.) aeque ac paedagogus facile comperire potuisset.

Quas de vers. 1378 — 80 movit difficultates, eae jam inde concidunt, quod in novam editionem, ab Euripide negligentius institutam, ex priore irrepserint.

Hac igitur in caussa a partibus quoque Muelleri, viri doctissimi, stare non possumus, praecipue cum ne tenuissima quidem veterum scriptorum vox suspicionem nobis injiciat, nostram Medeam ex Euripidea et Neophronica compactam esse. Cum vero omnes difficultates ex duplici editione, ab Euripide Mnesarchi ipso profecta, quam optime dissolvi possint, huic opinioni ut simplicissimae, ideoque verisimillimae, cum argumentis in contrarium non cogamur, faveamus necesse est. Quae sententia eo majorem accipit probabilitatem, quod Euripides in elimandis et corrigendis operibus per totius vitae tempus desudavit, quare φιλοπονώτατος apud Longinum audit. Porro fama illa apud Scholiastam et Aelianum, Euripidem filiorum caedem transtulisse in matrem, quae omnino non rejicienda est, nostram juvat opinionem.

Summa nostrae disputationis haec fere est: *Nostra Medea Euripidi Mnesarchi re vera ori-*

ginem debet, sed secundam ejus habemus editionem, ex curis Euripidis ipsius profectam.

Si vero tempus iteratae editionis Medeae definire volumus, post Ol. XCI. 3. facta esse debet, quo anno Thesmophor. Aristoph. in scenam prodierunt, in quibus Medeae vers. 300. deridetur, cum Medea prima secundum Didascaliam Ol. LXXXVIII. 1. jam docta esset.

